ORATIONES SACRAE XXIV.

HABITÆ

AD SVMMOS PONTIFICES

ET

S.R.E. CARDINALES

AVCTORE

R.P. IO; BAPTISTA GIATTINO

SOC. IESV.

ROMAE,
Sumptibus Ignatij de Lazzaris 1661.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo patri Sacri Palatii Apost. Mag.

Oct. Caraffa Archiep. Patrass. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædic. Sac. Palat. Apost. Mag.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

VIRGINIO
VRSINO
S. R. E.
CARD. AMPLISSIMO
FELICITATEM.

SACRAS Orationes, vel à me, vel ab alijs habitas partim ad Pōtif. Opt. Max. partim ad Eminētissimos S. *R*. E. Cardinales, tibi offero Princeps Eminentissime, quibus certe quantum de amplitudine de-

detrahit auctoris tenuitas, tantum refundit auditorum dignitas, & celsitudo; non incongrue autem hoc, quidquid est obsequij, tibi potissimum exhibeo, & quia debitum tuæ erga me beneficentiæ, & quia sapientiæ maximè consentaneum; quis enim ignoret quanta me beneuolentia, quanta humanitate iā diu complexa sit augustissima Vrsinorum familia, ac in primis Patruus tuus Paulus Iordanus & Parens Ferdinandus? quanta insuper significatione benignitatis me meaque respexeris humanissime Princeps, fouerisque dignatione quadam singulari familiaritatis, & consuetudinis tuæ? verum haud plenè mihi consultum putarem, nisi debitum alioquin obsequium addictissimo voluntatis meæ, etiam oportune collocarem; cui autem inter principes doctiores hoc genus Sacræ litteraturæ congrueret aptius quam tibi, qui diuinas humanasque doctrinas tam in alijs adamasti, quam ipsemet sedulo semper studio supra morem prin-

ci-

cipis hausisti? cuius deliciæ bibliothecæ sunt, cuius quies librorum lectio, & erudita scriptio, cuius relaxatio colloquia cum sapientibus. Quare ne graue sit Vrbanissime Princeps, nobilissimum nomen tuũ aspicere vt coronamentum & præsidium munusculi obsequentissimo tibi animo delati; & quando per eruditum otium licuerit, paginas hasce percurrere, si non orationis elegantia tuo dignos obtutu, certe materiæ dignitate conspicuas. Vale.

Eminentiæ tuæ.

Obsequentissimus seruus.
Io: Baptista Giattinus Soc. *Iesu.*

ORA-

ORATIONVM INDEX.

SANGVINIS PERORATIO SIVE *DE CHRISTI DOMINI* CRVCIATIBVS

ORATIO AB AVCTORE
Habita
AD S. D. N.
VRBANVM VIII.
IPSO PARASCEVES DIE
In Vaticano Pontificum Sacello.

NOSTRÆ Mortalitatis patronus Dei Patris Verbum, BEATISSIME PATER, susceptam hominis causam, planè perditam, & deploratam, quam humanitatis miserijs deformatus, ante Diuinę Iustitiæ tribunal seuerissimum

ad clepſydram triginta trium annorum efficaciſſima cordis, operumq; facundia perpetuo dixit, in extrema tandem oratione, profuſiſſima totius ſanguinis eloquentia perorauit. O quàm ſapienter Diuinus Orator partes inſtituit noſtræ defenſionis! in qua & amabilis infantia fuit exordiũ ſanè flexanimum, & Circumciſio paucis guttulis, & vno nomine Seruatoris totius cauſę compendiaria propoſitio, & ærumnoſæ vitæ labor enarratio, miſerabilis infelicitatis humanæ, & indefeſſus in Euangelica excurſione conatus, contentioſiſſima confirmatio, & tota deniq; per dolorem & ſan-

sanguinem vita profusa vehe-
mentissima peroratio. Diui-
num itaque sanguinem pero-
rantem, quem hodierna luce
in Pōtificia purpura inter pul-
lata omnia solum rubescente
cernimus adumbratum, gratæ
mentis auribus audiamus. Ac
prius quidem patronus aman-
tissimus anteactam hominum
causam, sub ipsum perora-
tionis initium mirabiliter con-
firmauit, producto ex amoris
abdito tabulario, Diuini Cor-
poris, & sanguinis nouo testa-
mento, quo Diuinitatis parti-
cipes hæreditario iure insti-
tuebamur; deinde digressus à
suis solitudinem petit, vt vox
integra Sanguinis nullo inter-

mixta murmure peruersionis humanæ, diuino Iudici clarior sonet; ibi ferocissimis animi tortoribus aduocatis pauore, tædio, mœrore, vsq; ad mortem tristitia, Cor illis vltrò discerpendum tradit, vt ex interna pectoris carnificina sanguis ad perorandum erumpat; Sanguis igitur diffluit toto corpore, sed sine vulnere, quia sanguis vulnerum loquacissimus est ad vltionem vulnerantis; hic verò nihil exclamare nouerat; nisi pacem: Iam concrescit, vt pluuia manantis Sanguinis eloquentia, & iustitiæ Sole iam in occasum vergente inter nubes, horroresque diuinæ indignationis, Iris

ap-

apparet reconciliationis internuncia, hoc eſt Angelus pacis, qui ſanguineum oratorem ſpe certa victoriæ confirmaret in cauſa. Adeſt interea mercator perditiſſimus cum ſacrilego emptorum grege, & amoris ſyngrapha, nẽpe oſculo, proditionis impiæ mercaturam inſtituit: ſed impuriſſimi oſculi veſtigia impreſſa ſanguini peroranti, nouum os addidere, quo ſe ipſum, nequitiæ hominum in ſe transfuſæ reum proclamauit ad Patrem. Hic reus ſimul & Orator Dei filius, vile mancipium apud homines, triſte piaculum apud Deum raptatur, ſi cælum ſpectes, in ius, ſi ter-

ram, in iniuſtitiam, vt ſolo ſanguine cauſam peragat; ſtatim obmuteſcit lingua vehementiùs ſanguine proloquente; quod ſi quid effari cogitur ad alapæ temeritatem, ne ſilentium peruicax in contemptum Pontificis traheretur, ardentiùs multò ſanguis è liuenti gena vociferatur, vt mortales in Deum contumelioſi tam palmari patientis Dei contumeliæ condonentur. Sed quantus, & quàm validus orator fuit in noſtrum omnium cauſa, cum diuina facie palmis, pugniſque conciſa, ſputis indigniſſime fœdata, innumeris plane ludibriis appetita; ſanguis innocens teterrimis ſor-

di-

dibus,& pœdore contectus paternam misericordiam compellauit! Iam tum emollitæ seueritatis signa prodidit cælum immissa repentina pluuia lacrymarum Petro, quæ sublatam abiurationis flammam extingueret. Iam verò quantò miserabiliùs insontis causa præcipitabatur ad hominibus, tantò feliciùs apud Deum restituebatur hominum causa diuini Sanguinis patrocinio. Insanæ vestis, purpuræque ludibria, publica conspiratio præoptantium caput infame sicarii facinorosi, vis & irrisio satellitum petulantium per plateas, & limina magistratuum circumcursantium, po-

pulorum execrationes, necem & crucem proclamantium, oratoris erant dedecora & sordes, sed ab eodem in defensionis nostræ ornamenta simul & argumenta vertebantur: is enim decebat ornatus illam perorationem, cuius vltima figura Crux esse debebat. Ea tamen contumeliarum decora, nimis frigida oratori tàm inflammato videntur, ardentiora sanguinis ornamenta deposcit. Tempestas ergo verberum crudelissima totum speciosi corporis decorem, & formam depopulatur immaniter. Hinc in altum prouehitur sanguinis eloquentia, quia plaga vndique, &

vn-

vndique ſanguis. Voces ſanguinis, plagarumque clamores potentiſſimi delectant maximè Verbum æterni Patris pro mortalibus dum perorat. Gaudet dilacerari Diuinus reus, vt homini venis omnibus patrocinetur; Deus atrociſſimè diuerberatur, vt homo facundiſſime defendatur; quot enim ſunt verberum ictus, totidem nouæ ſanguinis voces diuerberant pectus iudicis ad miſericordiam. Dum omnium ferè membrorum ſanguis agit copioſiſſimè cauſam noſtram, in capite, hoc eſt, hominis regia, regius ſanguis occluſus taceat? En illi nouo crudelitatis machinamento mul-

tiplex etiam aperitur ad proclamandum via; Sertum è vepribus diuino capiti altè defigitur, & per aculeos cerebri sanguis exiliens aculeatis planè vocibus Patrem ferit. Iam Rex euadit è reo, sceptro arundineo, corona spinea, purpura ioculari; nec mirum, hæc enim figura rei tanto sanguine declamantis, nunc maximè regnat, cum homines ex reis efficit cæli Reges: ecce homo in reo pœnarum Rege restitutus æternæ beatitatis in regnum, Dolorum Rex non aliud amat solium, nisi Crucem, & qui sanguine caussam dicit, aptius Crucis è sugesto perorat. Sed prius vt pondus

ad-

adderet ſanguinis eloquentiæ, Crucem baiulat,& plagis pondere exarcebatis voces ponderoſas emittit. Defixus Cruci ſuſtollitur, ſolis pedum, palmarumque vulneribus inſiſtens, vt noſtræ, quam ſuſceperat cauſa, tota ſecum pēderet à vulneribus. Gaudet ſuomet pondere ſua ſibi vulnera recrudeſcere, quia ſic fortiùs in momenta proclamant: Merito quidem non plantis, ſed plagis ſuſtentatur orator, qui facundiæ pondus collocauit in ſanguine: feliciter ſuper vulnera moritur, qui ſibi vitam fabricauit ad vulnera. Trabales illi claui, ferreę ſunt vulnerum linguæ, & facundiſſimæ

ſanguinis oratrices, repulſam ferre non poſſunt, quia nimium habent ponderis, dum ſuſtinent Deum. Interea ſitientis os felle imbutum mellea profatur verba, nihil enim dulciùs amorē loquitur, quàm fel amantis. Moribundo tandem Deo lux Orbis extinguitur, vt in ſquallore, ac tenebris miſerabiliùs noſtram cauſam abſoluat. Moritur toto ſanguine, toto corporis ſpiritu proclamante, vt non ſolùm verba profundat. Profuſa vita abſoluta videbatur oratio; ſed ſanguis etiam poſt mortem eloquens eſt. Aliquid ſanguinis & aquæ ſupererat circa cor; mutum adhuc, quia non
ha-

habet os vulneris ; sed aperto latere profluxit tota illa copia; & quoniam non potuerat viuum, cor mortuum perorauit: Sic perorat, qui amat. Dixi.

EPVLVM AMORIS SIVE DE CRISTI DOMINI CRVCIATIBVS ORATIO AB AVCTORE Habita AD S. D. N. INNOCENTIVM X. IPSO PARASCEVES DIE In Vaticano Pontificum Sacello

VOcamur ad epulas B. P. quas Diuinus amor cũ indignata Iustitia nostrorum scelerũ vindice lautissimè ce-

lebrauit: vocamur & conuiuæ simul, & spectatores, nobis enim in tenui panis buccella, per immensam liberalitatẽ totius conuiuii compendiũ prægustandum proponitur, vt diuinitate saturati diuini amoris delicias amantius admiremur. Amoris epulum, & vltricis Iustitiæ, sanguis est doloribus, pœnisque conditus, quam aptè initium ducitur à rore sanguinis in horto non voluptatis, sed agoniæ ab interna carnificina pauoris, tristitiæ, tædij, ac meroris expresso. Adduntur sanguini condimentorũ illecebræ, somnus, ac fuga discipulorum, osculum proditoris, insultus satellitum, vincula ra-

prantiũ efferata licentia nebulonum, Quales deinde in Augustissimo vultu Cælestium leporum oblectamento instruxit epulas sanguinis verecundiæ rubor, dum ante præsides impietatis sistitur pietas rea, veritas mẽdaciis opprimitur, innocentia damnatur, Cæli candor cõspuitur, obruitur diuina forma pugnis, alapis, velaminibus illuuione probrorum! nec deest pęnarum conuiuio ignominiosæ modulationis acroama. Triplex enim Petri peierantis abnegatio, cõclamationes iniquissimæ, non hunc, sed Barabbam; Tolle, tolle crucifige eum, conuicia, execrationes, maledicta, blasphemiæ debacchantis ne-

qui-

quitiæ inter ſanguinis epulas, diuinæ iuſtitiæ, & auidæ opprobriorum caritati ſuauiſſimè concinebant: Sed adhuc amoris conuiuium ſine vulneribus ieiunum eſt. Flagiorum ergo violentia diuinum corpus dilaceratur, planèque diſrumpitur, adeo vt non ſit amplius vulnerum capax, cum totum vulnus euaſerit; Tum cerebro plagarum non dum compoti corona ſpinea altè defigitur, vt imaginatio hominum amantiſſima, non modo peccatorum in ſe phantaſmata ſpeculetur, ſed ipſos quodammodo in ſpinarum aculeis amplexetur, & ita in opipara dape noſtra etiā ſcelera deſixa, iuſtitiæ palato

non

non iniucunda reddantur. Interea massa illa dolorum, ac vulnerum feralis trabis pondere subagitata delicatior cibus efficitur, inde confixa cruci sustollitur, vt suis insistens vulneribus nihil sapiat nisi cruces & vulnera; inferuntur conuiuij dulciaria, acetum, & fel; adstat loco luminum extinctus sol, renidet pro supellectile purpura ad regni derisionem, albus amictus ad ostentationem infamiæ; vestes diuisæ, & tunica sortis arbitrio commissa ad expilationem pauperrimi patrimonij. Denique mortis manu assus igne caritatis agnus apponitur; at ne cor Amoris conuiuio ieiunium agat sine

vulnere, lancea confoditur, vt vitalis aquæ poculum diuinæ Iracundiæ propinet, & sui sapòrem sanguinis, tormenta spirantis aqua restinguat. Age iam ad saturitatem epulare, vindex iustitia, & vltionis expleta fame sempiternæ voluptatis epulas nobis para. Dixi.

VLTRIX MISERICORDIA SEV *DE PASSIONE CHRISTI* ORATIO AB AVCTORE Habita *AD S.D.N.* ALEXANDRVM VII. *IPSO PARASCEVES DIE* In Vaticano Pontificum Sacello.

AMans æqualitatis Iustitia B.P. suo iure poterat homi-

mini, lesæ Diuinitatis reo prorsus inexpiabili' æternas pœnas insligere, at vero iura peruertisset æqualitatis, si humanæ compensationem noxæ a Dei filio postulasset, cum Dei hominis dignitas quantamcunque sceleris immensitatem infinito sanæ pondere superaret. Diuina, ergo misericordia desperatam hominis inopiam miserata, ne sine vindicta, iustitiæ rigor hebesceret, iustitię seueritatem induta, statuit a Christo penas expetere supra debitum humanæ culpæ, Deumque indignissime offensum in Dei filio vlcisci tam plena vindicta, quæ dum offensionem ipsam excederet in-

fi-

finitè, amoris diuini magnitudinem exæquaret. ac primum quidem ſanguinis auidiſſima per inteſtinum bellum timoris, tædij, angoris, triſtitiæ Chriſtum ſic armauit in Chriſtum, vt præ conflictus atrocitate ſanguis eruperit intolerantiſſima compreſſione cordis expreſſus; vltionem a ſanguine feliciter auſpicata, prius quam ferociſſimis odiis debacchantis nequitiæ inſontem traderet, amoris argumenta acerbius in tormēta conuertit; hinc turpiſſima ſuorum fuga, impudentiſſimo diſcipuli proditoris oſculo, probroſiſſima primi capitis abnegatione amor carnifex amantis animum ex-

cru-

cruciauit: raptatus deinde a furiis insultant bus per iniustitiæ Tribunalia semper pro setacuit, ne quid obstreperet Misericordiæ, causam hominis apud Deum efficacissimè peroranti, Tacente Dei Verbo, & liberè vociferante mendacio apud Iudices iniquissimos opprimitur Veritas, conculcatur sanctitas, Innocentia condemnatur. Horrendis interim probris, alapis, sputorum eluuie, Diuinitatis imago conspurcata ab insultante Nebulonum licentia, hoc solum præsefert de *Deo*, quod possit adeo patienter sordescere: Diuina pulcritudine tam turpiter deformata, ipsa quoque sapien-

pientia, vt fatua ſpernenda erat adiectis fatuitatis inſignibus, quo fortius noſtra fœditas, & amentia vindicarentur in Deo; Præcipitata furialibus odiis, Innocentiæ cauſa, fruſtra Romano Iudice reclamante, verberibus excarnificatur noſtrorum criminum reus, ad crudelitatis ſaturitatem (mentior) ad vltricis Miſericordiæ votum, vt dum abiectiſſimus quaſi ſeruus dilaceratur Dei filius, Diaboli mancipium homo, *D*ei filius aſſeratur. E ſeruo rex opprobriorum creatus, corona ſpinarum ad cerebrum vſque defixa, ſceptro arundineo, ac deriſoria purpura ignominioſiſſime decoratus populis

ex-

exponitur a Præside, Ecce homo, idemque Deo proponitur a Misericordia, Ecce Deus, sed ab hominibus ad crucem deposcitur Deus, a Deo ad gloriam reuocatur homo; sic odiorum violentia adiicitur infami patibulo. cuius oneris impotens dum succumbit ac deficit, hominem sub noxæ pondere afflictum, ac deficientem Deo miserabilius repræsentat. Denudatum denique corpus, an corporis perpetuum vulnus? distenditur supra Crucem, eique configitur clauis intra manus ac pedes violenter adactis, & inter consonantes malleorum ictus, Misericordia nostræ salutis Epini-

cium

cium ſuauiſsimè modulatur. Attollitur ſupra ſua vulnera ſuſpenſus Deus, & miſerabili ſpectaculo recrudeſcens ad vindictam Miſericordia terram, cælum, Deum ipſum cohibuit, ne quid opis morienti conferrent, vt inter dolores, diras, irriſiones, & odia deſtitutus, ſibique fere præmortuus, in ſinum Patris noſtram animam per vltimum clamorem, ac ſpiritum expiraret. Vltricem in Dei filium Miſericordiam ſpectauimus, vindicem contra nos iuſtitiam timeamus, in nos immiſericordes, in Deum impij, niſi noſtra in nobis crimina, è reis vindices vlciſcamur. Dixi.

ORA-

IGNIS ET AQVÆ FOEDVS SIVE DE *S. SPIRITVS ADVENTV* ORATIO HABITA A D S. D. N. VRBANVM VIII.

A RAPHAELE ANDOSILLA ROM
Sem. Rom. Con.
In Sacello Pontificum Quirinali.

SAcrosanctus olim Ignis, B. Pater ab altari Hierosolymitano sublatus, captiuorum industria sacerdotum, & sub alto putei sinu reconditus, Ignem alterum, longè omnium sacratissimum nostra suscitat in memoria, quem ab Altari Diuinitatis secum in terras detulit Cœlestis ille Sacerdos in nostra mortalitate captiuus, & sub angusto di-

ſcipulorum corde, quaſi profundiſſimo putei ſub receſſu, aptè, prouidèque concluſit: verùm poſt longam in Perſide Hebræorum captiuitatem effoſſo puteo, aquâ craſſa, non ignis inuentus eſt: poſt euerſam Crucis auſpicijs peccati ſeruitutem, ſi fidelium deliteſcentium corda ſubeamus, aquam profectò craſſiſſimam reperiemus formidinis& ignorantiæ, non ignem generoſitatis, ac ſapientiæ; iuſſit ibi Nehemias aqua illa perfundi victimas, & ſacrificia, & vbi primum aperta nube Solis affulſit radius, aqua repentino ſtatim igne correpta eſt; & hodierna luce liquefacta per

pre-

preces, ac lacrymas Apoſtolorum corda, & in altari caritatis inter laudis ſacrificia, quaſi profuſa, aperta veterum nube figurarum, radius diuini ſolis vehementer incendit: hinc illæ validiſſimæ ſublatæ flammæ per vniuerſum terrarum orbem immenſa pietatis incendia ſuſcitarunt; Hinc obſcuriſsima nox erroris, & vmbra mortis clariſſimum traxere ſapientiæ diem, vitalemq; lucem felicitatis æternæ. Decebat enimuero diuinæ munificentiam maieſtatis ad humana pectora ſuccendenda nihil accipere de noſtro, niſi noſtrarum aquam miſeriarum, vt quidquid eſſet luminis, & ar-

doris esset planè totum de suo, nec certe pati potuisset diuini Amoris profusissima liberalitas, vt in suorum copiosissima largitione munerum, aliquid nostra terra conferret. Immò nescit amantissimus DEVS in nos mortales esse beneficus, nisi prorsus opposita in vnum colligat, & ipsa aqua coalescat in flammas; vt ambigere iam cogamur, an maius sit beneficentiæ miraculum, ignis è Cœlo datus diuinitatis allapsu, an idem in terris exceptus ab aqua corruptionis humanæ? Et admirabimur amplius, cum attonito Moyse ardentem in rubo viridi cælestem ignem, quando iam intuemur sublata

di-

diuinitatis incendia ex aquis ſrigidiſſimi torporis, inſcitiæque craſſiſsimæ? Verùm imitari voluit Diuinus Amor, quantum fas eſſe poterat, ſapientiam Patris; illam abbreuiato quaſi verbo, Alpha ſimul, & Omega coniunxit, primum, & nouiſsimum, Deum, atque hominem; hic aquam ſimul, & ignem conſociauit inuiolabili fœdere caritatis: ibi diuinitatis innocentia ſceleris humani rea inter ſceleſtiſsimos reputari non exhorruit; hic diuinæ bonitatis ardor, ac fulgor inter impuritatis humanæ frigora, ſordeſq; æſtuare patitur, & luculenter igneſcere tunc tam ſingularis per-

fecta est hominis cum diuinitate coniunctio, vt idem, & Deus esset, & homo; nunc tã liberalis habetur in hominem Spiritus diuini profusio, vt nõ iam homo, sed Dei Spiritus loquatur in homine: quod si eodem, quo loquimur spiritu, respiramus, & viuimus, hic certe delapsus ignis, dum nostræ mortalitatis aquam incẽdit, plane viuam spirantemq; reddidit. Ferebatur iam olim super has aquas diuinus hic spiritus, sed ipsas non dum penetrauerat; at quando vidit nostrarum oppressum ponderе calamitatum iam in limo profundi altissimi filium, naufragio nobis felicissimo submer-

mergi, voluit inter aquas, & vſque ad ima peruadere noſtræ mortalitatis; vt quã peccati vapor, & auernalis anhelitus ad mortem infecerant, innocentiæ ſpiritus, & afflatus Diuinitatis recrearent ad vitã. Corruptam olim vitiorum tabo mortalium vniuerſitatem cœleſtis vltionis indignatio paucis exceptis, immenſa pluuiæ diffuſione deleuit; voluit nunc diuinæ commiſerationis exceſſus reſiduũ illud impuræ corruptionis cœleſtis ignis impreſſione conſumere, atque eo certè admirabiliùs, quod pœna illa, ſiccata breuiter aquarum inundatione deleta eſt; at præſentis immenſitas

 be-

beneficij perennitatem fontiũ æmulatur igne; fontem enim aquæ viuentis aperit in humano pectore, quæ non vt aqua defluit, sed flammæ naturam induit, & ſalit in vitam æternam: vt profecto non tam facilem ad pœnas vltoris Dei iuſtitiam in breui aquarum alluuione recolamus, quàm copioſam ad munera beneuolentis DEI miſericordiam in perenni flammarum diluuio ſentiamus. O amoris inuenta vel in ipſa abiectione digniſſima! ò diuinam ſapientiam ad excogitanda mortalibus beneficia nimis ingenioſam! dediſcit nobilitatem ſuam cœleſtis ignis, & ad ima deſcendit, vt

a-

aqua noſtra flammarum addi-
ſcat mores, & ad ſuperna con-
ſcendat, hic vim omnem no-
cendi cohibet, ac deſtruendi
potentiam, vt illa nouas hau-
riat vires ad inflammandum:
hic anguſtias humani cordis
patitur, licet diuinæ ſpatijs
immenſitatis aſſuetus, vt illa
mortalitatis limites ſupergreſ-
ſa in vno Deo libera ſpatietur;
hic in noſtram demerſus ina-
nitatem ſe nobis peramanter
effundit, vt illa Deum ingreſ-
ſa diuinæ ſe ſe repleat ſolidi-
tate virtutis, hic denique inter
ſitum ſqualloremque morta-
lium non dedignatur ardere;
vt illa inter diuinæ decora
pulchritudinis aliquando ſor-

dere desistat: vno verbo, communem sibi nobiscum Deus habet diuinitatem suam, ita & naturà ipsa diuinitas sua secum est, et dono nostra nobiscum, quare si vitalis ignis cõmunicatione dij sumus, mortalis aquæ contagione esse homines desinamus. Dixi.

DOTALIS VERBI SPONSI ELOQVENTIA SIVE ORATIO DE S. SPIRITVS ADVENTV HABITA AD S. D. N. VRBANVM VIII.

A Valerio Ariguccio Perusino Sem. Rom. Con.

In Sacello Pontificum Quirinali.

PROMISSAM Dotem Beatissime Pater, amantis-

tiſſimum Verbum Sponſæ daturum, igneam Eloquentiæ copiam elargitur in linguis; quibus & Verbi ſymbolum præſeferat, & ardentiſſimi Verbi Sponſa pariter ardere poſſit, ac loqui. Quamuis enim in Cruce vocem profuſi ſanguinis facundiſſimam diuini Patris Eloquentia Sponſæ reliquerit, tamen eiuſdem cor in eloquēti Sponſi ſanguine mutum eſſe non debuit; ſed ſi Sponſo Amoris linguæ ſunt vulnera, ſint certe Sponſæ cordis internunciæ amoris flammæ: Fideliſſima verba ſunt, quæ ſine lingua interprete cor ipſum loquitur; Verùm diuinæ ſponſæ, cui cordis loco Deus eſſe de-

buerat, diuina debebatur interpres lingua, quæ non tam oris, quàm cordis vocem exprimeret. Dotalem itaque facundiam excipit hodierna luce Verbi Sponsa, & quæ nuper ad Ancillulæ voculam, sponsi nomen confiteri non potuit, per vniuersum iam orbem vsque ad vltimos terræ fines vocem extendit inter animorum obsequia triumphantem: Apparet enim verò tantæ vocis sonum esse de cœlo, qui nihil sonare poterat, nisi Deum; apparet impetu ferri vehementissimo, qui cordis humani claustra, quamuis munita, perrumpat; & cui fulmina cælestia voces sunt, igneam esse

lin-

linguam è cœlo necesse est; Nec sanè temerè priùs exauditur cœlestis sonus, quàm ignitæ videantur linguæ, loquente quippè Dei sponsa, primus vocis sonus à Deo est, deinde in lingua, Diuinitatis fit Echo. Præmiserat mortalibus Deus ante celebratas nuptias diuinæ humanæque naturæ specimen, & exemplum facūdæ dotis in ore vaticinantium, sed illis diuinam dederat vocem, non item linguam: resonabat quidem in homine Dei vox, sed eius lingua Dei magis erat instrumentum loquētis, quam cordis humani: at verò post dotalem Diuinitatis profusionem in Sponsam, ip-

ſius lingua non aliena promit verba, ſed ſua; & ità diuini artificis humanum eſt inſtrumentum, vt ſit etiam diuina virtus facultatis humanæ. Voluit namque cęleſtis ſponſus in opulentiſſima ſui amoris dote quandam ineſſe ſpeciem, & ſimulacrum ſui; vt quemadmodum ipſe amoris inaudíto miraculo ſimul & Deus erat, & homo, ſic etiam eloquentia ſponſæ diuini amoris artificio humana ſimul eſſet, atque diuina; & quoniam auorum imagines, & ornamenta familiæ dotem nobilitant, expreſſa ſunt in hac dote, velut inſignia Diuinitatis, Patris potentia, ſapientia Filij, diui-
ni

ni Spiritus ardor; vt ex cortina veritatis de illa pronunciatum fuerit. Increata pòtentia, fax perennis Amoris, alma lux Sapientiæ. Et quisquàm deindè mirabitur, si ad huius eloquentiæ fulgura Orbis vniuersus exarsit? si quot protulit hæc Oratrix voces, tot sustulit pietatis trophæa? Si ad sonum vocis inuictæ non vnius immanitas nationis, sed vniuersitas vitiorum prostrata, sapientia mortalis euersa, deiecta consuetudinis peruicacia, Regum superbia, potentia Cæsarum, Tyrannorum crudelitas, ipsa planè Tartara fracta, diruta, proculcata? Monstra sũt fabularum sono vocis conge-

gesti lapides in vrbis modum; at huius vocis verissima sunt portenta, humana pectora in Dei regias conformata: quod si olim aurita flumina, plantæque loquentibus dicta sunt falsò, quis neget huius vocis imperio Cælum, terras, maria, elementa, vniuersamque naturam non aurita solùm esse, sed maximè obedientia? Verum pudeat cũ humanis prodigijs eam conferre, quæ concertare possit meritò cum diuinis; Diuinæ vocis singulare præconium illud fuit: Dixit, & facta sunt; quod dum illa diuino ab ore proferebatur Imperatrix; proferret simul in lucem, quæcumque vellet

effectrix: & ipsa pariter Verbi sponsa post immissam è Cœlo vocalem dotem, verè Dixit, & facta sunt, cùm potentissimæ vocis efficacitate Mundum, si planè non condidit, instaurauit; Cùm veritatis lucem ab errorum tenebris diuisit, cùm aquas veræ sapientiæ ab ineptiarum illuuione seiunxit, cùm superstitionum immensum Chaos iu Cælum augustissimum conuertit, in quo & Solem exuli: Pontificiæ maiestatis, & sydera Solis assseclas, quæ vel arderent in purpura, vel in thyara flauescerent; Verùm cui tantam indidit potentiam Sponsi Pater, quãtam Sponsus infuderit sa-

pien-

pientiam? Et qui ſe ipſum tradiderat pera manter, an quidquam de theſauris ſuis diuinæ Sapientiæ reſeruaſſet? hinc eſt arctiſſimus ille nexus inter diuinam Veritatem, & Sponſæ vocem; hinc auctoritas non humana pronunciandi quicquid in diuino Senatu decretũ eſt; hinc facilis aditus in arcana diuinitatis, & facultas mortalibus reſerãdi; hinc eſt, quod auguſtiſſima vox Pontificiæ auctoritatis tàm ſuplici mortalium ſubmiſſione mentium adoretur, vt arbitra Veritatis æternæ; dum enim ipſius vocis oracula non in fallaci rationis humanæ lumine, ſed inter veraciſſimas tenebras fidei Sacro-

cro-

crosanctæ suscipere, diuinoque planè cultu venerari tenemur, sola certè vox hominis, Sapientia Dei est: profectò cui pro solio sternitur altissima facultas hominis, intelligentia, summum obtinet doctrinarum imperium; & cui semper in holocausto fidei victima cadit humana mens, diuina solùm Veritas esse debet. Quid multa? Verba sponsæ voces sunt sapientissimi Verbi, diuinæque communicatio Veritatis: iam verò qui sua omnia communicauit amantissime, quàm fuit etiam prodigus in amoris incendijs transfundendis? immensus fuerat æstus diuinis amori prima

ho-

hominis, mundique molitio, & tamen super aquas Amor ferri dicebatur, sed quæ nunc erit ardoris immensitas, cùm idem fertur in igne? Flammas certè, non verba iaculatur lingua, quæ quot infligit vulnera, tot excitat animorum incendia: vitali armatur igne vox illa, quæ resoluit in cineres veterem mortalitatem ad nouam vitam: vbi æstuant auditores igne diuino, ibi Dei flamma perorat. O eloquentiam diuina conantem, ò animatam Dei spiritu Sponsæ vocem! Habes iam, Nupta locupletissima, delicias amoris tui, habes quasi pro dotali cingulo Filij simul, & Patris

non ſolutile vinculum. Verè diuinum cor amoris ictu vulneraſti, quæ iam ab illo ardorem intimum tibi traxiſti: Non eſt cur anheles amplius diuina oſcula, quæ iam toto ore, ac labijs expiras Deum: & quoniã Diuinus Ignis oris tui Spiritus eſt, erit profecto tibi viuere, ardere Deo. Dixi.

LINGVA BELLATRIX

SIVE ORATIO

DE S. SPIRITVS ADVENTV

Habita AD SS. D. N.

INNOCENTIVM X.

In Sacello Pontificum Quirinali

A BENEDICTO RICCOBALDO

Baila Volaterrano Equite D. Stephani.

Sem. Rom. Conuic.

OBSTRICTIS olim manibus Sampſon repli-

ca-

catis Funium nexibus B. P. captiuus traditur Philistæis; cum irruente super eum diuino Spiritu vincula derepente diffringit, arreptàque pro gladio imbellis iumenti mandibulà hostium copias iam sibi pœnè insultantes cæde dissipat memorabili. Apostolos hodierna luce admirabiliùs in Sampsone spectemus, qui timoris priùs & inscitiæ nexibus obligati, deinde S. SPIRITVS igne correpti, torpentes, eneruesque iam linguas euibrarũt vt fulmina caritatis, & obsistentes Principum auuernaliũ turmas, planèque de religione triumphantes, solo linguarum impetu debellarunt. Apta cõ-

fi-

ficiendis operibus instrumenta respuere, ineptissima solùm adhibere, illius enimuero virtutis est, quæ Deum ipsum in homines amabili communicatione transfundit. Manus qua Dei Spiritus pugnat, osse contemptibili armatur, quo victoriam gloriosiùs reportet: lingua, cui sapientiam, et ardorem inspirat Deus, quò ruditatem de se trahit hebetudinem ad loquendum, eò triumphat illustriùs in Auditorum animis expugnandis. Fugiebãt ibi deterritæ ab vmbra minitantis maxillæ armatorũ phalanges, hic ad primas linguæ voculas piscatoris indocti humana Sapientia prosternitur, &

et obstinata cordium peruicacia manus porrigit, fascesque submittit. Verum ibi quippe tenui sub vmbra futuræ veritatis, de vno populo vix agebatur victoria: hic nationum omnium triumphus agitur Apostolorum in linguis: acutissima ibi gladiorum acies, omniumque ferè telorum genera informis ossis impressioni cessere, hic vero, et potentia Cæsarum, et Doctorum superbia, et armorum licentia, et consuetudinis proteruia, et corruptela flagitiorum, et stygiæ tyrannidis petulantia, et cunctorum pænè perfidia ineruditis inopum linguis subijciuntur edomita. Hæc ipsa

Regnorum Domina ſceptro-rumq;moderatrix Roma nonne Piſcatoris linguæ triũphus eſt? hæc ſacroſancta maieſtas, in qua ſupra limites mortalitatis, diuinæ ſonant oracula ſapientiæ, ex Apoſtolica lingua vitæ ſpiritus trahit, Deumque adorantibus populis effundit magiſtra veritatis; eiuſdem victricis linguæ ſono compulſæ, vel è remotiſſimis terrarum plagis ad nos confluunt nationes, excitumque quodammodo Mundum, et peregrinantem Roma complectitur, vt profuſum fidelibus Cœlũ potentiſſimæ vocis imperio ſupplicantium votis elargiatur. Par enim omninò fuerat, vt

ij, qui Dei vice diuino magisterio fungerentur in terris, è Cœlo traherent vocem, ac ſpiritum, diuiſaſq; linguarum diuerſitate Gentes, rurſus in vnũ Cor, et in animam vnam cõiungerent diuina quadam vnitate linguarum.

DIVINA MODVLATIO SIVE DE *S. SPIRITVS ADVENTV* ORATIO HABITA *AD S. D. N.* INNOCENTIVM X.

In Sacello Pontificum Quirinali.

AB HORATIO MESSINO Vrbeuetano Sem. Rom. Conuic.

NEmo profectò exiſtimauerit (B. P.) vel tantam in Dauidis pſalterio ner-

uo-

uorum vim, & efficaciam extitisse, vel in eiusdem manibus tàm singularem pulsandi peritiam, & excellentiam, vt Saulem malo genio exagitatũ harmonię lenocinio mulcere potuerit, & ad sanæ mentis integritatem leniter reuocare. Diuini certè Spiritus modulatio præludebat in illo admirabili sono, cuius vehemẽtissima suauitate furiarum impetus, ac rabies domabantur. Recolamus enim animo quidnam esset nationum vniuersitas, cum potentissimus hic è cælo concentus iucundissimè concrepuit, & mortalium animis vberrimè diuinitatem afflauit. Nihil omnino erat, ni-

ſi animorum perturbationibus percitum, vitiorum inſultibus concuſſum, auernalibus facibus inflammatum, incitatum corruptelarum ſtimulis, odiorum diſſidijs tumultuoſum; niſi quiddam rationi diſſonũ, ſibi diſcors, diuinis auribus prorſus abominandum. At vbi primùm ſonus hic diuiniſſimus humanos peruaſit animos quanta repente morum tranquillitas orta eſt, quanta virtutum harmonia, quæ facinorum concordia, quæ animorum conſpiratio Cælo gratiſſima, Tartaro formidabilis? Quid olim potentiorũ dominatione vel iniquius, vel crudelius, vel in omni vitiorum genere petu-

lau-

lantius? Quid poſt diuini Spiritus modulationem Eccleſiaſtica Hierarchia vel æquius, vel benignius, vel ad omnem virtutis excellentiam accomodatius? Admiramur in Chriſtiana Republica Regum potentiſſimorum celſiſſima capita Vaticano faſtigio ſanctiſſimè ſupplicantia, Pontificis Romani pedibus obſequio venerabundo prouoluta, oracula ſimul, & leges ex hoc orbis Sacrario demiſſis faſcibus proniſque ceruicibus depoſcentia? Sunt hæc hodiernæ vocis è cælo perſonantis miracula. Edomitã populorum ferociam, nationum diuerſitatem, concordem, ipſam terrarum orbis vni-

niuersitatem vno loquentem fidei, ac Religionis ore conspicimus? Diuini sonitus vim agnoscimus omnia copiose replentis. Inuictam, vel in ætatulæ, vel in sexus imbecillitate fortitudinem; gloriosum in abiectissima paupertate decorem, efficacem in rudi simplicitate sapientiam, vnanimem in dissidentibus ingenijs cælestium rerum doctrinam, fractam ad Piscatorum vocem arrogantiam humanæ scientiæ, & imperantis superbiæ temeritatem stupidi contemplamur? Cœlestis huius harmoniæ gratiam prodigiorum effectricem in his omnibus veneramur. Nostrum erit per-
fi-

ficere vt allapsæ Diuini Spiritus melodiæ, paratissimæ voluntatis Echo respondeat.

BELLVM PACIS SEV DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO

Habita in solemni die Pentecostes.

AD S. D. N. ALEXANDRVM VII.

A IOSEPHO ROCHIO

Sem. Rom. Conuict.

PAX diuino parta sanguine, Beatissime Pater, Deique morientis testamento sancita, classicum hodierna luce ad bellum animat repentino de cœlo sono aduenientis spiritus vehementis: redinte-

gratam enim inter Deum atq; hominem pacem Dei Hominis patrocinio, diu ſeruare nō poterat humana imbecillitas, niſi contra rebellantis appetitus inteſtinas reliquias, externoſque auernalis inſtigationis inſultus, perpetuum, & implacabile bellum gereret diuini Spiritus armis inſtructa: proinde aduerſus ſemetipſum fortiter armatur homo copioſo diuinæ virtutis allapſu, vt quotidiano prælio ſecum congreſſus, pacis tranquillitatem in ſingula momenta ſui victor glorioſe promoueat, malorumq; Geniorum inſidias defectionem contra Deum verſutiſſime molientium, cœlo

ſe-

ſecum militante, diſſipet, ac profliget. Quotquot ad libertatem naſcimur boni, malique capacem, profectò ad bellum naſcimur in nos aſſiduè ac pertinaciter inferendum, ne quod in nobis deterius eſt, planèq; ſeruile, contra rationis imperium refractarias ceruices attollat, & ſeruitutis loco indigniſſimum dominatum affectet: vbi verò ex noxa primi parentis acceſſit naturali diſſidio voluntaria ſeruitus, ac rationis abiectio, perturbato naturæ ordine delectabilium appetentia, duabus ſtrenuiſſimis ducibus ſecum conſpirantibus, Ignorantia ac difficultate, tam acriter, tam perui-

caciter de absoluta dominatione contendit, vt absque cœli suppetijs haud illi obsistere diutiùs valeamus; Sed igne S. Spiritus nunc armati æternæ veritatis lucem contra ignorantiam, diuinæ efficacitatis ardorem contra difficultatem obtendimus, & edomita per suauissimam violentiam perduelli nostri parte, rationis imperio iucundissimæ pacis oblectamenta impressione nũquam intermissa præstamus. Hinc diuinæ pacis animata spiritu fideliũ acies quamuis exigua, excusso imbellis formidinis torpore, è latebris erumpit in lucem, bellumque atrocissimum indicit impauida

dominanti vitiorum tyrannidi, & cum ea obſtinatè coniurantibus humanæ potentiæ, roboriſq; tartarei furialibus planè conatibus: Hinc fulgurantis fulmine veritatis deiecta ſuperſtitio, proſtrata perfidia, impietas deturbata; hinc inſultantis petulantia carnis, & fæcundiſſima vitiorum Hydra diuino igne repreſſa, ac penè conſumpta; hinc cæleſtis impetu lucis Stygiæ noctis diſcuſſa caligo, tenebrarumq; poteſtas abacta, & profligata, debellantis pacis opima ſpolia, ac nobile Trophæum euaſere, atque imperanti legitimè rationi pacificam, integramque reliquere poſſeſſionem. *Hæc*

ipſa, qua fruimur admirabili ordinum concordia in Eccleſiaſtica Hierarchia, hic regius, quem veneramur purpurę ſplēdor in Chriſtianæ reipublicæ Senatoribus auguſtiſſimis, hoc abſolutiſſimum, quod adoramus, Pontificiæ maieſtatis imperium, cuius pedibus potentiſſimorum regum ac imperatorum capita liberum profitētur obſequium, cui prouinciæ regna, nationes, orbis terrarum vniuerſus ſupplicis adorationis honeſtiſſima tributa perſoluunt, à qua tanquam à magiſtra immutabilis veritatis diuina prorſus oracula humana cuiuſuis generis ſapientia excipit venerabunda, ampliſſima

de-

decora ſunt, & inſignia triumphalia delapſæ de cœlo pacis aduerſus vitiorum examina, furiarumq; molimina feliciſſimè depręliantis. Verùm quia ſemper hoſtem pacis gerimus intra nos, ſemper etiam pro tuenda pace pugnaciſſimè dimicandum eſt, diuiniq; Spiritus arma non ad oſtentatiotionem, ac pompam præferenda, ſed ad quotidianam victoriam adminiſtranda.

INANITATIS EXPLETIO
SIVE ORATIO DE
S. SPIRITVS ADVENTV

Habita in Sacello Pon. Quirinali

AD SS. D. N.

ALEXANDRVM VII.

A Vincentio Ferrerio Sauonen. Sem. R. Con-

Na-

NATVRA pleni tenacissima (Beatissime Pater) tanto abhorret odio, vel minimam suis in rebus Inanitatem, vt quamuis potiùs violentiam constantissimè patiatur, quàm ne latum quidem vnguem vacuo defessa concedat. At, peruersæ libidinis vitio, irrepsit in hominum pectora, nescio quæ deformis appetentia Inanitatis, quæ ipsos homines sua quodammodò humanitate turpiter exinanire conatur. Hanc mortalium votorum Inanitatem oppletura Diuini Spiritus plenitudo profunditur. Tanti quippe Deus hominem facit, vt, quod illi de homine demit ipsius ignauia, suppleat peraman-

manter de Deo Diuina beneficentia. Quantum inerat vacui in humana Scientia, quantum in electione bonorum, quantum in soliditate virtutis, quantum in prosequutione felicitatis, antequam Spiritus Domini repleret Orbem terrarum! Dei populus, & pupilla, quamuis Diuinæ beneuolentiæ lacte nutritus, Diuinæ potentiæ miraculis educatus, numquam tamen immensa cordis spatia immensitate meræ Diuinitatis expleuit. Semper aliquid de pinguedine terræ cum rore Cœli confusum ad votorum satietatem adoptauit; nempè aliquid tàm Deo vacuum, quam plenum inani-

ta-

tate terrena. In ipſius enim Sapientia, quamuis fidei luce perfuſa, quot tamen hiatus inſcitiæ deprehendemus, vel de Auguſtiſſimo trium Perſonarum Myſterio, vel de præſtantia Diuinitatis, vel de Conſilijs arcanis eiuſdem, liberiſquè decretis, vel de amplitudine beatitatis Æternę? Quantum inerat vacuitatis in appetentia, & efficacitate virtutis! Rerum humanarum deſpiciétia quàm rara, quàm timida, quàm exilis, & flaccida penè languebat! Quis ibi virginitatis ardor, quod arctioris vitæ ſtudium, quæ propagandæ religionis contentio prætendi poteſt, quę magna ex parte vacua non ap-

pa-

pareant ſoliditate virtutis? Ipſi diſcipuli veritatis, quamuis Dei Verbi magiſterio Diuinam ſapientiam edocti, & exemplo Doctoris operoſiſſimi compulſi, quoties titubarunt in ipſa doctrina, quoties in eius lumine cœcutierunt, quàm formidoloſo conatu apertam ſibi vitæ viam tentauere inanes atque vacui vigore ſimul, & intelligentia, ante Diuini Spiritus allapſum! At verò cum primum profuſæ Diuinitatis affluentia, humana corda peruaſit; quæ Sapientiæ plenitudo quæ virtutis ſoliditas, quæ nouæ Sanctitatis opulentia intruſam corruptelarum impetu inanitatem expulit, profligauit,

ex-

exterminauit! Hinc, errorum eiecta penitus vanitate, cæpit fidelium cætus nihil sapere, nisi Deum; nec alia intelligere intelligentia, alia loqui lingua, nisi Diuina; vt sine vlla iactantiæ suspicione potuerit in Concilijs asserere. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Hinc plena ictu efficacia solidissimæ veritatis, mortalium sapientiam suo tumescentem vacuo compressit, & ad natalitium nihil planè redegit. Hinc vis illa insuperabilis humanarum virium, sæuientisquè stygiæ ferocitatis conatibus, rudes, inopes, destitutos, ætatem teneram, imbellem sexum, ea, quæ non sunt, adeò corrobo-

ra-

rauit contrà totius Orbis terrarum obſiſtentem potentiam, & auernalis atrocitatis inſultus, vt euerſa perfidia, deiecta ſuperſtitione, & proculcata frementis impietatis tyrannide, ſupra verticem auguſtiſſimæ poteſtatis erexerit trophæa Crucis, & gloriæ. Flexis quodammodò mentis genibus veneramur Eccleſiæ vocem, quã non modò nullius falſitatis anhelitus, ſed nè leuiſſimus quidem dubitationis, ſuſpicioniſuè ſuſurrus poteſt inficere? Diuinæ Sapientiæ Spiritus eam replet, & animat ad oracula veritatis. Admiramur tantam, ac tam variam in Eccleſia Sanctitatis Excellentiam, tot ſæ-

cu-

culorum decurſibus ſemper exaggeratam, tàm multiplici natio num diuerſitate nũquam à ſe ipſa diſtractam, tàm magnifico Dei cultu in Chriſtiana republica, tàm Diuina huius Auguſtalis Maieſtate ad faſtigium admirabilitatis euectam? Transfuſam in homines Diuini Spiritus plenitudinem admiramur. Quæ cum ità ſint, hoc enimuerò fixum nobis, immotumquè perſiſtat: noſtra corda, vel per inania vota turpiùs euaneſcere in nihilum, vel per fugam inanitatis glorioſiùs excreſcere in Deum.

Ora-

ORATIO DE S. STEPHANO PROTHOMARTYRE

Habita In Sacello Pontificio

Ab Alumno Collegij Anglicani

PRimum adoleſcentis Eccleſiæ teſtimonium de veritate diuinitus inſpirata ſolemniter hodierna luce profertur in ſanguine conſtantiſſimi aſſertoris Stephani copiosè profuſo B.P. hinc eſt quod expanditur Cæli regia, & iudex omnium, Dei ſimul, & Virginis Filius ad Patris tribunal adſtat, & ſolemni quaſi ritu è cœleſti Concilio in totius vniuerſitatis theatro primum reconciliatæ, mortalitatis teſti-

mo-

monium excipit, & in æternitatis tabulario transcribi iubet; adsunt aduersæ partis, stygiæque factionis patroni, Iudæorum scelestissimi, qui cum veritatis constantiam argumentorum versutijs labefactare non possent, lapidum ingruente procella obruere connituntur: sed quot iaciunt lapides, tot aperiunt ora vulneribus, quibus eloquentia sanguinis amplissimum pro veritate testimonium dicat; intentis, & nos animis, pioque memoriæ obsequio adstemus tam glorioso spectaculo, & si non sanguine, ardore saltem votorum luculentissimo testimonio veritatis adstipulemur. Admira-

ra-

rabili ſane ſapientiæ cœleſtis artificio accepta iam à maioribus diuinæ vocis oracula, & incorruptis omnino tabulis conſignata colligit in vnum Stephanus ſuum ipſe teſtimonium prolaturus, vt videlicet apertè demonſtraret, vocem ſuam non interpretem eſſe rationis humanæ, ſed eloquij diuini quaſi repercuſſam imaginem ab ore mortali: diuinorum commemoratione verborum ardet fideliſſimus teſtis, & caritatis incendia erumpunt ab ore proloquentis, ſed circumſiſtente gelu duriſſimo perfidæ impietatis vehementius dicentem incendunt: iam præ diuini ardoris vehemen-

tia humana penè forma consumpta, angelicam induit faciem, ac cœlestem decorem, & mortalis adhuc in terris immortalis aulæ Princeps designatur; certant officijs Cœlum, & Stephanus, nec alter alteri cedit, hic testimonium pro Cœlo dicit, lingua præferuidum; illud pro Stephano angelicæ pulchritudinis voce causam perorat. Quid hic agat obdurata proteruitas impietatis? non audit modo, sed oculis intuetur testimonium veritatis. Hominem innocentem opprimere sit humanæ nequitiæ, at Angelum saxis impetere cuius erit amentiæ? Sed non horrescit vel in An-

gelos ſacrilegas manus inijcere iudæorum temeritas, quæ rerum omnium procreatorem, ac Dominum ſuſpendit in Cruce; eijcitur extra Vrbis mænia Stephanus, & cum eo fides, veritas, innocentia, & omnium virtutum chorus expellitur, vt ſola, plena populo ſuis in ſordibus perfida ciuitas contabeſcat. Ille vero libentiſſime terreſtrem deſerit, cui cæleſtis Hieruſalem ample patebat: inſequitur auernalis caterua non tam ſaxis armata, quæ manibus arripuerat, quam ſaxeis inſtructa cordibus, quæ perfidia, ſæuitiaque obduruerant. Corda vellent eiaculari ſi poſſent,

quia nullum est atrocius vulnus, quam quod infligit cor. At quia tantum audere non datur, saxa hoc est cordium simulacra contorquent; verum grando ista si crepitantium saxorum est, pondus addet grauissimo testimonio, si cordium efferatorum, materia erit incendio charitatis in corde succumbentis; excipit ergo testis impauidus saxorum nimbum, & suo sanguine purpureum reddit, vt inimica etiam saxa fidelius redderent de sua constantia testimonium, multo sane luculentius quam olim Iacob, non tres, sed innumeros lapides non infuso de super oleo; sed pro-

profuſo vndique inſperſos ſanguine teſtes conſecrat Stephanus, quòd ibi vere domus Dei ſit, & porta Cæli, vti viuum ipſe Dei templum Spiritu ſancto plenum, ex ore quaſi ex oſtio redderet diuinæ oracula veritatis. Iam cruor è diffuſo corpore abundè diffluit, quo certe eo efficacius proclamat cor, quod ſine lingua interprete ipſum met loquitur. O quam feliciter cauſam peregit apud Deum, qui cor Sauli receptaculum impietatis conuertit in vas electionis, ornatum omni lapide pretioſo! Extrema ſupererat in celebri teſtimonio ſubſcriptio, & conſignatio, hæc vt

ſolemnius celebretur procumbit in genua, vires colligit, totam animam ſpiritumque in vnum coarctat, & ſupra limites humanitatis exiliens, ea claudit formula teſtimonium, qua Dei filius clauſerat teſtamentum: nempe lapidantibus ferociter inimicis veniam peramanter precatur à Deo. Obruite celeriter perditiſſimi, obruite ſaxorum turbine vocem illam immanitati veſtræ nimis acriter obſtrepentem, ſed obrui non poterit vox *illa*, ad quam iucundius audiendam reſerantur cæli ſacraria, & Dei filius aſſurgit auditor. Claudi non poterit illa vox, cui, cum ſit plena Deo, Cæli

im-

immenſitas eſt anguſtior ; Molleſcerent profectò duriſſima ſaxa vocis afflatu , qua diuinam indignationem emollit , niſi rigerent odijs contorquentium furiarum. Tu vero perge felix abſoluto fortiter teſtimonio Stephane, qui enim libertate ſermonis, profuſione ſanguinis, & diuinæ caritatis ſigillo vltimam mortalitatis lineam obſignaſti , immortalitatis in circulo æternam perages felicitatis pèriodum. Dixi.

LAVRETANA DOMVS

DIVINITATIS DELICIVM ORATIO

Habita ab Auctore.

CVM Lauretanæ Domus gloriam, ac dignitatem mente sæpius volutarem, (*Principes Eminentissimi*) non semel peruasit animum curiosa quædam admiratio, & peruestigandi cupiditas, quid tandem causæ fuerit, quod ex omnibus Palæstinæ monumentis, quę corporatus olim Diuini Patris filius suo vel visu, vel tactu, vel etiam sudore, ac sanguine nobilitauit, euexitque quodammodo suprà sortem, conditionemque mor-

ralem, ſola Virginis *Domus* Diuinæ Omnipotentiæ *Dex*tera, & Angelorum famulantium miniſterio ex impia barbarorum ſeruitute erepta fuerit, ac pias in terras fideliũ aſportata, ibique ſæpius quaſi Colonorum vitia deteſtaretur, in varias translata ſedes, ac tandem in plaga terrarum fœliciſſima inter pietatis obſequia, inter confluentium Nationum ſuplicationes, & vota, inter totius pene orbis ad ſe peregrinantis cultum, adorationemque collocata? Quid Seruatoris *Dei* tunica pretioſius, quid primis incunabulis venerabilius? Quid eiuſdem vitali ſepulcro ſan-

ctius, quid gloriosius? cui vel ex oraculo veritatis amplissima postmodo gloria debebatur; Quid augustius, planèque diuinius clauis, lancea, spinis, sindone, ipsa Crucis Maiestate diuino sanguine purpurantis, tanto iam in pretio, tantoque semper in amore præ cæteris apud Deum, vt solam sibi delegerit diuini sociam honoris, cultusque latriæ? Et tamen eadem Crux annos plurimos captiua hostium contume lias, impietatemque substinuit; sepulchrum vel adhuc sceleratæ auaritiæ non tributarium solùm est sed indignissimi tributi loco; reliqua piorum

vel

vel cura, vel pretio à rapinis, incendijs, vaſtitate barbarorum ægrè ſubtracta; nulli certè ipſa per ſe diuina potentia mirabili quadam oſtentatione porrexit dexteram, nulli cœleſtis aulæ proceres ſuppoſuerunt humeros, atque ceruices, nulli prouidentiſſima Dei Charitas, tam coſtanti diligentia, tam ſollicita procuratione conſuluit vltra leges, conſuetudinemque naturæ: ſolam Virg. Matris Domum multiplici, continentique ſerie miraculorum, amantiſſima Dei prouidentia non modo integram, inuiolatamque ſeruauit, sed in ſinu Chriſtianæ religionis, inter delicias

pietatis, sub assidua liberalitatis suæ profusione, inter lumina sanctitatis, & gloriæ semper sitam esse voluit, tanquam diuinæ beneuolentiæ singulare portentum; vt in hac faustissima Domo iam penè oculis admiremur expletam diuinam prænotionem. In sole posuit tabernaculum suum.

Verum non sine maximo rationis impulsu in hæc ostenrationis prorupit *D*iuina Beneficentia, quibus tantæ Domus excellentiam, ac sanctitatem ad Cœli penè inuidiam comprobauit. Aequissima namque ratio postulabat, vt qui duplicem habebat originem,

alteram in Cœlo à Deo Patre, in terris alteram à Matre Virgine, Parentis vtriusque Domum eximia quadam beneuolentia complecteretur, & si paternam ad beatæ fœlicitatis palatia triumphantibus destinarat, maternam certè ad laborantis pietatis solatia decertantibus asseruaret. Quanta solemus ambitione nos homunculi gentilitia stemmata, atque insignia paternæ, maternæq. familiæ in locis augustioribus sempiternæ memoriæ dedicare, quibus vtriusq. nobilitatem sanguinis illustrius ostentemus! Et mirabimur vnquam, si Dei simul ac Virginis filius Domum hanc,

maternè cognationis insigne, paterno quodammodo exæquat Cœlo? si ijsdem, quæ Cœlum rotant, intelligentijs, eius custodiam, gestationemque demandat? Si tantam in ea statuit communicationem cum Cœlo, vt ambo vitiorum contagia pati non possint? Si nihil habet in terris gratius, vbi cœlestis opulentiæ dona diffundat? Si tam arctam, ac reciprocam voluit Beatissimæ Domui coniunctionem esse cum Cœlo, vt Diuini Senatus consulta de nostra salute in Cœlo quidem celebrata veneremur, at amplissima pro eadem salute merita hac in Domo recolamus exhibita, in

qua

quã primũ Deus homo libero voluntatis amplexu humana ſcelera peramanter in ſe recepit? Mirarer equidem potiùs, quod Cœlo Domum hanc non intulerit, vt ſanctiſſima illa Saxa immortalitati conſecrarentur, inter quæ cœpit exordium Immortalitas, niſi Diuinam in hoc ipſo liberalitatem animaduerterem in ſponſam ſuam, cui pro dote Cœlum, paternam videlicet hæreditatem dedit in ſpe, maternam verò re ipſa tradidit, quando Virginis Domum in ipſius Sponſæ gremio poſuit, vt beatarum mentium Coloniam, & cœleſtium gratiarum municipium, eiuſdem, ac

Cœ-

Cœlum iuris, & libertatis. Cogebatur Sponsus amantissimus à sponsa recedere, vt eidem cœlestem viam sterneret ad beatam immortalitatem; at incredibili Diuini Amoris inuento, dum recedit, simul permanet sub adspectabili panis integumento; Virginem Matrem delicias suas nec à se diuelli diutius patiebatur, neq. cum sponsa poterat orbatam deserere; alterum pariter moliri Sacramentum in ipsà Virgine, periculosum omnino fuisset piæ credentium propensioni, ne Diuinitatem eamdem suspicaretur in Matre, quam sub simillimis argumentis adorasset in filio. Quid

ergo

ergo? Matris loco maternam Domum ſponſæ reliquit, quam certè cum ſubiret, præſentem ſibi Virginem cernere videretur, præſentem alloqui, ac venerari, illi ſua ſenſa animi pandere, illi ſuas ærumnas, miſeriaſq. depromere, ab eadem præſente opem ſibi, tutelam, patrocinium impetrare; Si enim ipſam rerum præſentiam non ſolum teſtimonio ſenſuum pernoſcimus, ſed ſæpius arguimus ab effectis, quis tam ſtolidè, tam impudenter pernegauerit feſtiuam quandam Diuinæ Matris Præſentiam inter Lauretanæ Domus parietes mirabiliter inſidentem, cuius effecta præ-

ſen-

ſentiſſima bella, morbi, naufragia, peſtilentiæ, funera, cunctæ prorſus calamitates, & infortunia, ipſa monſtra, furiæq. Tartarorum victa, poſtrata, profligata obſtupeſcente Natura ſentiunt, & quaſi prædicant ex appenſis votis pretioſo metallorum, gemmarumque præconio, vt omnino congruat beneficæ Domus Munificientiæ, quod olim de Virgine Damaſcenus veriſſime prædicauit; eſſe nimirum Officinam Chriſti beneficiorum, atq. donorum. Conferte iam, ſi placet, cum hoc diuino Domicilio, quæ enumeraui ſacroſancta monumenta degentis in Terris Dei
ſub

ſub humanæ Mortalitatis induuijs; ea certe omnia Dei Patris filius agnoſcebat ſua, nihil tamen illa maternum, nihil de Parente Virgine præ ſe gerebant, teſtabantur ea quidem Deum hominem, humanæq. conditionis capacem, filium hominis non teſtabantur, qua potiſſimum appellatione Diuina Caritas delectabatur. Veſtes humani corporis ſunt indicia, Infantis ætatis incunabula, Claui, lancea, ſpinæ, Crucis patibulum diuino quanuis imbuta ſanguine Diuinitatem expirent, patientis tamen corporis notæ ſunt, Sepulchrum expers cadaueris ſolam recon-

dit memoriam demortui simul, ac resurgentis; profectò Seruatoris Humanitatem hæc omnia luculentissimè contestantur, sed non Humanitatem acceptam à Matre, hominem sonant, non filium Virginis, Dei hominis monumenta sunt, sed à Matre seiuncta, corpoream ipsius Naturam euincunt, & amabilem ad homines adhæsionem, at quod hæc ipsa Natura è purissimo Virginis sanguine concreta fuerit, in vtero castissimo Dei filius Matris viscera senserit Virginis intactæ fœtus, omnino silent; solum hæc augustissima decora *Diuinæ* Matris *Deum*

in ſe concipientis ſolum illud Conclaue fœlicißimum, miraculorum clamoribus vociferatur. Qui enim e ſantiſſimis olim regionibus in medium proferri, ineffabilis myſterij particeps, legationis Angelicæ conſcium, Teſtis conſenſus Virginis ad propoſitum Dei Matris nomen, & ſimul Virginis integritatem, diuini Spiritus allapſu beatum? Quis nam alius erit Thalamus nuptiarum inter diuinam, humanamq; naturam in vtero Virginali, quænam alia Sedes, & Caput, vbi fons, & origo ſempiternæ Beatorum fœlicitatis almæ Virginis manauit è ſanguine? quid

quid deniq. primum peregrinantis ad ſe Diuinitatis Hoſpitium ſe ſe 'iactabit, quod Verbum hominem factum ex Virgine meruerit parietibus excipere, ſolo ſuſtinere, tecto contegere, ambitu ſupra cœleſtem immenſitatem capaciſſimo complecti, & iure materno, quod ſequitur fœtus, vnum de ſua familia numerare? ſolum illud Conclaue præſtantiſſimum ſic Dei, & Hominis mirificam coniunctionem poterat oſtentare, vt ipſam Virginem Dei Parentem diſſimulare non poſſet, Deum in ſe hoſpitem glorioſè proclamat? Hoſpitantem in Matre Virgine
ri-

primo demonstrat. Suum domesticum, atque Hærum agnoscit? ideo certè, quod Virginis agnoscat filium, Infantem, Puerum, Adolescentem, Iuuenem in se Deum educasse præ cæteris gloriatur? Virginis pendentem ab vberibus, inter Virginis Complexus, & oscula gestientem, maternæ allidentem mensæ, maternis indutum vestibus, vtentem materna consuetudine, & contubernio, maternis imperijs obsequentem, vno verbo sub Virginis Matris tutela Filium familias indicabit. Quas ergo miraculorum machinas extruere non debuerat Diuina po-

potentia ; vt tam illuſtre Parentis diuinæ teſtimonium ſtatueret in luce publica pietatis ? Quam ſanè curam, & ſollicitudinem Diuina prouidentia non impenderet, vt ea Domus, in qua Cœli reparatio beata duxit initia intra viſcera Matris, ac Virginis, tota ſpectaret ad Cœlum, nec terrenis inſiſteret fundamentis, ſed cœleſti ſolum potentiæ inniteretur ? Quam anxio, quam efficaci conatu ipſamet Innocentia *D*omum ſuam à maligno ſolo, ab alluuione ſcelerum eriperet, quàm è tota rerum Vniuerſitate ſolam oſtentare poſſet innocentem ? Quem illa Mundi angulum

reperiſſet non aliqua criminis labe fœdatum ? Si ad primæuam deliciarum Sedem, & Hortum voluptatis olim ſuæ conuertat oculos, prope Arborem innocentis vitæ iacta mortis, & peccati ſemina reformidat; Si ad reliquas terrarum plagas, perſtricta cunctorum horrore criminum execratur, ac refugit: Si Cœli Sydera, Solemq ſupergreſſa cœleſtem omnem regionem excurrat, rebellantium veſtigia in deſertis ibi ſedibus lamentatur; hæc vna relinquebatur *Domuncula*, in qua ſantictatis Integritas concepta ſimul cum Virgine non modo labeculam vllam non contra-

xerat,

xerat, ſed ſemper intaminata, pulchrior, & gratior adoleuerat; donec acceſſione facta Diuinitatis allapſæ prorſus in immenſum excreuerit. Et pati vnquam potuiſſet Innocentia, ſuam regiam, ſuum delicium planè vnicum ſceleſtis indigenis impiari? Inter vlnas caſtiſſimæ religionis arctiſſime non foueri? extremis pietatis conatibus, obſequijſq. non coli? Oſtendite Chriſti tunicam Innocentiæ, exobſculabitur quidem, vt indumentum Dei, vt remedium nocentis nuditatis auerſabitur; proponite Bethelemis præſepium; Certe vt Dei Cunas adorabit, vt Hominum

fla-

flagitium deteſtabitur, locum naſcenti Numini denegantiũ: obſtrudite Clauos, Flagra, Lanceam, Spinas, Crucem, Diuinæ purpuram caritatis venerabitur; at in ijsdem perfidam hominum immanitatem abominabitur; in vna Lauretana Domo nulla noxæ veſtigia, nullam ſceleris vmbram, nullam culpæ contagionem extimeſcit. Nihil ibi diuina indignatione turbidũ, nihil iuſtiſſimæ peruium vltioni, nihil Cœleſtis offenſionis nubecula non ſerenum. Præſulget vbique ſanctitas, ridet vndique lepor & feſtiuitas gratiarum, aura diuini Amoris vſquequaq. reſpirat,

quidquid omnino eſt, innocentiæ voluptas eſt, nec aliud redolere poterit, niſi diuinam ambroſiam pietatis, niſi prodigia ſanctitatis Ioachimum, Annam, Ioſephum, *Dei* Matrem, *Deum*. Sed quid pluribus innocentiæ proſequor pro domo ſua patrocinium? ipſa cœleſtis beatitudo, quæ pro regia Cœlum obtinet, & commune cum immenſa *Di*uinitate poſſidet Auguſtale, ſuum habet Sacrarium, imò ſuam agnoſcit natalem Sedem in hoc Virginis Domicilio, Si enim tota ſumma non creatæ modo, ſed etiam diuinæ beatitatis præſtantiſſima, diuinæ pulchritudinis inſpectio-

ne,

ne, atq. possessione conficitur; vbinam primùm humanæ mentis acies in ipso *Diuinitatis* Sole visum, obtutumq. defixit, & ex obiecta perfectionum infinitate diuina gaudia, & beatam oblectationem exhausit, nisi Nazaræna sub Domo, in qua vera Hominis Natura indiuisibili vinculo cum Diuinitate coniuncta sub vtero Virginis Deum apertissime contemplata instituit fœlicissima primordia nostræ Beatitatis? Cum ergo Beatorum Princeps, & Caput hac primum in Domo clarissime Deum intuitus incœperit omnibus numeris absolutissimè beatus esse, quis eam Sempi-

ternæ felicitatis natalem regiam, & eiusdem in terris Sacrarium inficiabitur? Quæ cum ita sint, nullus admirationi sit locus, si diuina beneuolentia præ cæteris huic Domunculæ blandiatur, quam tot tantisque prærogatiuis, ac titulis non vt partem Orbis terrarum, sed vt Cœli Appendicem, ipsoque Cœlo ex parte nobiliorem reputat, & peculiari quodam nomine suam agnoscit. O præclaram, ò singularem Piceni Soli excelsitatem, & gloriam non humano consilio, sèd diuino iudicio cuiuscũque loci fastigio præferendam! Tuam infrà præstantiam dixerim, si te

Dei ocellum appellauerim, Diuinam quippe quaſi Pupillam obtines, vbi primum beatiſſima viſio in ipſius Auctore beatitatis emicuit admirante plane Cœlo, & vix fieri poſſe credente, eſſe quiddam Cœlo beatius in Piceno. Neq. ſolùm tuis vlnis fortunatiſſima regio ſummam ſuarum Deliciarum credidit diuina beneuolentia, ſed publico, diuinoque teſtimonio certam, & comprobatã voluit Sanctimoniam, ac pietatem tuam. Si enim hæc intaminata Domus indignabunda ſæpius fuga declarauit, vbi ſolida non ſit pietas, ibi non poſſe conſiſtere, cum in ſinu tuo tot

annos iam ſuauiſſime conquieſcat, perpetuo ſane, atq. indubitato præconio tuam pietatem, religionemque cōmendat. Tandem tibi gratulor Roma publicæ Virtutis Emporium, cui Principis integerrimi non magis purpura, quã ardore pietatis in Virginem æſtuantis exemplo, ſtudio, piaque liberalitate tanta facta eſt acceſſio cultus, ac venerationis in Auguſtiſſimam Domum; equidem cum admirabilem ſpeciem beatiſſimi Domicilij alis Angelorum volitantis per tuas olim triumphales vias aſpicio triumphantem in te videre mihi videor pietatem in Virginem, Et certè

ſi ſpectauit ad Cœlum Matris Virginis Domum ad Diuinæ Sponſæ delicias reſeruare, ſpectabat ad Romam Cœli vices obeuntem in terris, tanti memoriam beneficij, ſolemni triumpho proſequi, & publica quotannis eiuſdem expreſſione reſtaurare.

REDITVS INNOCENTIÆ SIVE ORATIO *IN VIRGINIS DEIPARAE* CONCEPTIONE HABITA AD S.R.E. CARDINALES IN SEM. ROM.

A Franciſco Maria Ciarlino.

DIVINVM ſanè ſemper fuit, odia Caritate, ira-

iracundiam misericordia, vl- tionem beneficentia temperare; adeo non solum obsequia mortalium perenni felicitate remuneratur Deus, sed ipsorũ etiam culpas Amoris inaudito miraculo planè facit esse felices, vt humanis sceleribus iacta pænarum semina, diuinæ calore caritatis felicissimè degenerent in copiosam messem cumulatissimæ fausticatis. Elucet hoc ipsum miris modis in eo diuinæ commiserationis decreto, quo, dum genus humanum primæ innocentiæ integritate mulctatur in hominum Patre, eadem simul ornatissimè decoratur in Dei Matre; nec prius planè irascen-

tis

tis Dei ſententia è terris expellitur Innocentia, quam eiuſdẽ miſerentis patrocinio glorioſius reuocatur in terras, ad ſuas opes explicandas in Virgine. Hoc ipſum igitur conſultum in diuinitatis curia, vt arbitramur, diuino Amore perorante reſcriptum de reditu primæ Innocentiæ, ad ſingnlarem Dei Parentis decorem, ſi placet, breuiter proſequamur. Lex eſt iuſtiſsimę indignationis diuinæ altè mortalium impreſſa Naturę, vt omnes filij non vitam modo ſibi trahant à parentibus, ſed etiam corruptionis labem, & initia mortalitatis. At vero quæ ad progignendam vitam, vitæq. Re-

parationem destinabatur, non certè mortalem tabem à parentibus haurire debuit, sed vitalem integritatem à filio, nec illum sanguinem virginalem par erat impurum fuisse potius, quod ab infectis parentibus deduceretur, quam omnino sacrosanctum, & innocentem, quod ab eodē Diuina Sanctitas, & Innocentia erat sibi vitam, & sanguinem deductura. An plus illi turpitudinis attulisset Heuæ fuisse filiam, quam amplitudinis, Dei matrem futuram? An in gratiosissima Deo forma plus Naturæ prauitas conaretur ad maculam, quam gratiæ dignitas ad nitorem? An lex publica

fa-

famulorum ad pœnam, Reginæ gloriam prohiberet? An ira legislatoris in populos, Matris patibulum nō caueret? Mortalis naturæ vires longè transcendit, vt matrem sibi filius procreet, & ante generationis, ac vitæ beneficium acceptum à Matre, eandem euocet ad vitæ lucem; is verò qui suapte natura necessariò prius esse debuit à Deo Patre Deus Filius, quam impellente misericordia aliquando nasceretur à Virgine Deus homo, quid laudis, quid integritatis, & gloriæ maternæ pulchritudini non decreuit? Quæ virtutum ornamenta concipi poterant in mortali; quæ copio-

ſiſſimè non cumulauit in Matre? Imò cætera ſanctitatis decora ſic Virgo accepit à filio, vt pro cõmuni mortaliũ conditione ſui laboris induſtria ſibi cõparare potuerit; at verò innocentèm concipi; nunquam eſſe, niſi puriſsima integritate ſpectabilem, nullam in ſe impreſſam habere, niſi diuinæ beneuolentiæ notam, ac teſſeram, id enimuero ſolius filij beneficium eſſe poterat ſingulare. Parenti naufragæ dexteram porrigere, ſi poſsit filius, lege pietatis debet; ſed prius vlnis ſuſcipere, quam naufragium faciat, diuinæ fuerat pietatis miraculum, matri vlnarũ futura obſequia rependentis.

Quod

Quod ſi Platonianæ ſapientiæ fuit oraculum; ſapientes in aureo cratere animam, ſpiritumq. primum exſugere: Sapientia Diuina quonã cratere vitam propinare debuit parenti ſuæ, niſi primo in auro innocentis ætatis? quin crater ille, ex quo vitam humanam ipſa Dei ſapiẽtia erat hauſtura, ex auro verè virgineo conflari debuit nulla ſordis commixtione deprauato. Par itaq; fuit, vas admirabile ad diuinæ ſuauitatis odoramenta fuſum igne cæleſti, ſupra naturæ conditionem, nullam transfuſæ noxæ contagionem olere; & quod tanquam opus excelſi diuina veritas commendabat,

nul-

nullam potuit in eo lineam ducere mortalis deformitas. Quid, quod filius parentis est imago viua, non ex artis, sed ex Naturæ pictura? Vnde nam filio matrem architectanti petendum erat integritatis exemplum, nisi, quantum fas erat, à semetipso? Vt prius filij similitudo, eiusdem munere imprimeretur in matre, quam ab eadem, naturæ opera transfunderetur in filium. Tantæ igitur similitudinis nitorem omnibus absolutum partibus sanciuit in Virgine diuina beneficentia, & quam fœditatis maculam humana corruptio minitabatur, diuinæ cognationis communicatio procul auertit.

tit. Horruit mortalitatis reæ ſupplicium illam aggredi, in cuius vtero iudex ipſe diuinus quaſi ex Amoris tribunali erat iura clementiæ, non ſeueritatis daturus: nec auſa eſt pœna conditionis humanæ, eo proſilire, vbi diuinæ munificentiæ dona parabantur mortalibus; Quare diuinum vltricis iuſtitiæ decretum de primi ſceleris hæreditaria poſteris fœditate, Virginem etiã horrendi carminis lege mulctaſſet, niſi eadem iuſtitia, in ipſa Virgine, diuinæ miſericordiæ ſacrarium, diuiniq. Verbi cauſam hominis, infantia perorantis, ſugeſtum auguſtiſſimum reperiſſet. Proſ-

picie-

piciebat illa, immortalis innocentiæ candorem, in valle miseræ mortalitatis erumpentem inflorem, vt odore diuino grauitatem humanæ corruptionis opprimeret, & succos etiam innocentissimos ad candidissimi floris alimentum nō denegabat in germine virginali. Quid enim diuinæ iustitiæ indignatio, teterrimi putoris mulctā irrogaret illi, quam diuinæ clementia caritatis sibi formandā susceperat in terris ad suas delicias, ad complexus, ad oscula, ad leuamētum mortalitatis assumptæ? Dissoluunt amoris incendia vim iracundiæ, nec ipse furor irasci potest inter æstus
ama-

amabiles caritatis; quæ igitur in puella, summis ardoribus amantis Dei sibi decreta, diuini nota furoris inureretur? quæ supplicij fieret mentio in Amoris, hoc est munerum largitoris chirographo? quis iracundiæ character insit in beneuolentiæ diuinę rescripto? Quod tandem ius Auernalis carnifex agnoscat suum in diuinis tabulis, vel æterni Parentis, sibi adoptantis filiam, ad rerum omnium imperium; vel amantissimi filij, sibi matrē conformātis ad suorū munerū profusionē; vel sanctiss. Amoris, sibi Virginē desponsātis cum amplissima dote integerrimæ sanctitatis? Tant

fecit

ſecit Dei Matrem diuina Curia, vt in decernenda Dei filio humanitate, non prius illam diuinitatis afflatu fæcundandã voluerit, quam per cœleſtem legationem, eiuſdem poſtularetur aſſenſus; conſulitur à Diuino Senatu voluntas Virginis in decreto ſibi honorificentiſſimo; ecquid ſancitum credamus eo conſulto de Virgine procreanda, de quo cum ipſa conſuli non poſſet, Matris voluntas cõſulebatur in Filio? Quod ſi iacturã Virginitatis, Pudoris Regina ſic exhorruit, vt ad propoſitum Matris nomen, filijque, licet Dei, ſacroſanctam appellationem, hæſitaret, pedemque quodam
modo

modo referret, si alterutrum necesse fuerit, Virgo potius, quam Dei Parens futura; Quis horror, Deus immortalis! fuisset, quæ trepidatio, si de iactura innocentiæ, sine qua sordet pudoris, & virtutum omnium nitor, anxia puellula dubitasset? Etquantum Matris horror perstringeret Filium, si quid pro communi decreto de Matris innocentia detraheretur? O prodigiosam infantulam diuinæ beneuolentiæ singulare portentum; quæ prius quam esse possis in rerum luce, habebas in diuino Consilio Filium decori tuo patrocinantem. Iam quid amplius addam de Virginis in-

nocentia primigenia ? Sileat certè mortalis eloquentia venerabunda, quando Dei Verbum pro Matris intaminata pulchritudine eloquẽtissimus est Orator. Ab ipsa potius operosis vocibus pietatis, & religiosissima clientela patrocinium exoremus, cui sane, si nondum Cõceptæ, Dei filius patronus fuit, quid erit ad maiestatem Matris, ad Cæli terræq. dominationem euectæ ?

NASCENTIS VIRGINIS *NVTRIX DIVINITAS* SIVE ORATIO

DE VIRGINIS DEIPARAE NATIVITATE HABITA AD E.E.S.R.E.CARD.

A POMPEIO COLVMNA *IN SEM. ROM.*

Ima-

IMaginem Diuinitatis in nascente Virgine (P.P. Em.) simillimis expressam mirificè lineamentis vidit, amauit, complexa est festiuissime ipsa Diuinitas; nec indecorum sibi duxit, viuum hoc magni Numinis simulacrum omnibus absolutum numeris studiosius educare; nec alienum a sublimitate diuina, Dei Matris esse nutricem, eaque vbera diuino lacte distendere, à quibus ducturus esset vitam, & alimentum Deus: quod si nutricis mores vnà cum lacte coalescunt in pueris, hæc *Virgo*, quæ penè Deus mortalibus visa fuit, quã habuisse nutricem dicenda est,

insi Augustissimam Diuinitatem? Debebantur illi diuinæ mammæ, cuius sanguis abiturus erat in Dei sanguinem; debebantur blandimenta Diuinitatis illi, quæ Dei delicium, & voluptas erat: & quæ postea cum ipsoDeo sub humanis induuijs delitescente mixtum,& complexum quoddam esse debebat, debuit ab infantia in diuinis complexibus enutriri. Certatum est igitur peramanter inter diuinas perfectiones in obeundis sedulæ nutricis partibus infantulæ Virgini; Ac primùm quidem Sapientia diuina suæ dulcedinis vbera lactēti statim admonuit, vt quod beatis mentibus

in cœlo cibus eſt, cœli Reginæ lac eſſet in terris; nec prius illa inciperet eſſe mortalis, quàm pleno immortalitatis delicijs epulo veſci; ſugebat gratiſſima Deo puella diuinæ ſapientiæ nectar, ſed non magis haurire Deum ipſa properabat, quàm Deus illi ſeſe infundere geſtiebat. patebant illi diuinitatis arcana, per quam, mortalibus aditus patebat ad *Deū*; ſine velo caliginis, ac famulantium tenebrarum obtentu decor diuinus illi familiariter explicabatur, à qua velamen corporis, tegumenque humanitatis erat diuina claritas acceptura; Non lex, nec moderatio ſeruabatur in diuina co-

pia sapientiæ in Virginem transfundenda, cum supra legem, modumque mortalitatis, diuinæ cognatione naturæ, ad diuina magis accederet, quam humana: Nihil est tam obscurum, tam varium, tam implicitum in humanæ Vniuersitate doctrinæ, quod omnium dominam, ac moderatricem lateret; nihil in Angelorum Philosophia tam arduum, tam sublime, tam inaccessum, quod non Reginæ pedibus vna cum ipsis Angelis sterneretur; nihil in Regia Diuinitatis tam clausum, tã abditum, tam à creata mente remotum, quod, quantum mortali fas est, ipsius Dei filiæ, matri, sponsæ, suo veluti

iure

iure non laxaretur; & quæ ad diuina solum tractanda destinabatur, ab initio plenissima cognitione Diuinitatis fuerat imbuenda. O diuinam Infantulam copiosissimo Dei lacte saginatam! O diuini oblectamentum amoris inter vices amabiles, vel nutrientis, vel lactentis Dei! cui supra fidē, admirationemque naturæ datum est; & vbera Diuinitatis abunde sugere, & gestare tuamet vbera sugentem Deum. At verò quæ diuina sciencia veluti lacte trahebatur, quibus par erat obuolui fascijs, nisi pulchritudinis diuinæ luminibus? Concextas ergo virtutum omnium nitoribus fascias,

primæque innocentiæ insper-
sas auro Virgini detulit diuina
formositas, vt suas ibi diuitias
exponeret, vbi Dei deliciæ
cumulabantur. Illis Puellam
circumligat, vt assuescerent
humana diuinis cõstringi prius
in matre, quàm in filio ar-
ctissimè copulari. Ornatur di-
uinæ magnificẽtiæ supellectì-
le diuinitatis sacrarium in
terris, Deique solium Dei opi-
bus decoratur; Diuinæ clari-
tatis radij spiræ fasciarum sunt
Virgini, vt hoc diuini cæli
breuiarium, eo certè mundo
esset præstantius, quod illi vix
pauca signa stellulis Zonam
conficiunt, huic Sol ipse in spi-
ras flectitur fasciarum; ibi

Sol vt imperator attollitur, hic ſuſternitur, vt amictus; ibi lumen ab vno Solis fonte parciùs deriuatur, hic quidquid eſt, fons luminis & Sol eſt. Nec certè faſcijs impares inſtrauit cunas diuinę potentia immenſitatis: quid autem amictam Sole magis deceat, quàm ſiderum cunæ, & prodigiorum luminibus inſtratus lectulus? Sidera ſunt in cælo diuinitatis, virtutis omnipotentis miracula, quibus per noctem mortalitatis creatis mentibus lux immortalis affulget; atque hæc meritò miracula cunarũ loco Virginem ſuſcepere, vt quæ omnium erat maximum Dei prodigium, inter cætero-

rum obſequia conquieſceret. Ab ipſi meri nihili inanitate vocat in rerum lucem quidquid vnquam libuerit diuina potentia; atque ea omnia ſubdere ſe iuſſit huic infanti, & tanquam omnium dominæ famulari ſubiecta; vt iam tum ſanciretur ius illud portentoſum, & inauditum, ne quid poſſet imperare Deus filius auctoritate Perſonæ, quod matri ſimul non pareret iure materno. Miraculum cenſetur in primis, quod eſt ſupra vires, ordinemque naturæ; quæ igitur illi miracula non ſubſternantur, quæ quanta quanta eſt, ſupra naturæ ordinem, viresque eſt? cuius imperia, na-

tu-

turæ pro lege sunt, quam creatæ rationis admiratur natura, cui subditus, quippe filius, pareret Deus? Sed quid ego de cunis loquor substratisque miraculis, quando iam video in diuinæ Caritatis vlnis Virginem collocatam? In illis enim verò suauissime quiescit puella, cuius sola quies, solus amor diuinus esse potest; ibi dulcissimos capit somnos, vbi ipsa dormiente vigilat cor eius, Deus, diuinusque illi amor agit excubias. Quod si præ amore languendum erat infantulæ, vbi langueret aptiùs, quàm in amoris sinu, vt languor ille animi deficientis in Deo, diuinæ caritatis ample-

xibus fulciretur? quin & vulneratum *Dei* cor, oculorum amantissimo ictu, quæ remedia vulneri meliùs admoueret, quam ipsam vulneris causam, vt quod amoris ictu sauciauerat, amoris etiam calore sanaret? Præuertit humana beneficia diuina liberalitas, & prius pœne remuneratur, quàm accipiat: quiescendum erat in sinu Virginis infanti *Deo*, & hoc ipsum prius rependere matri voluit, vt Caritatis vlnis ante ipsam gestaret vt nutrix, quàm ab illa gestaretur vt matre. Verum ne quid amantissimæ nutricis desiderari possit à Virgine, omnia prorsus experta est blandimenta ab

al-

altrice *Diuinitate*. Quoties illi tulit oſcula mellitiſſima diuina ſanctitas? Quoties *Dei* candor oſculo ſibi ſponſam delegit candidiſſimam Virginitatem? ſi enim olim in terris obuiæ Iuſtitia & Pax oſculatæ ſunt, quæ certe fuere oſcula ſanctitatis diuinæ in puriſsimam Virginitatem, tunc primùm ortam in terris? Et, ſi filius poſt vbera Virginis degustata, vino, & vnguentis optimis præſtantiora, oſcula materni oris ardenter erat expetiturus, quo pacto diuina oſcula denegari poterant eidem paruulæ, cui *Diuinitatis* vbera concedebantur? Illi prætere ſuauiſsimam næniam

modulabatur vox ipsa diuina, & Verbum Patris; quia nihil illi sonare poterat, quod non sonaret *Deum*; nec quidquam ad quietem placidissimam, eius mentem trahere, nisi allicientis vox amoris. *Illi* blandiebatur diuinus lepor, in qua compendiariam rerum omnium venustatem inspiciebat; ludebat inter diuina blandimenta Virgo cœli, terræque lepor; & lusus ille cum *Deo* diuinam iracũdiam erga mortales in dies magis magisque mitigabat. Mulcebatur Virgo diuinæ voluptatis manu, sed non minus etiam diuinus furor in homines, nutricij *Dei* blanditijs mulcebatur: Quid mul-

ta? Matrem ſuam, ſuæque humanitatis materiam alebat Deus. Quæ cum ita ſint, nos qui ſub tutela tantæ matris viuimus, intelligamus tandem, quid ſit patrociniũ illius Dominæ, cuius educationi ſumma Diuinitas ſeſe impendit, quæ verò noſtra famulorum obſequia in Virginem eſſe debeant, cum ea fuerint in ipſam ſtudia regnantis *Diuinitatis*. *Dixi*.

DIVINITATIS COMMVNICATIO SIVE ORATIO DE VIRG. DEIPARÆ NATIV. *HABITA AD E. E. S. R. E.* C*ARD.* IN SEM. ROM.

EA eſt diuinæ maieſtatis amplitudo, vt nihil om-

nino prodire possit in hanc rerum lucem, nisi præpotenti Deo iure subiectissimæ seruitutis addictum; quicunque nascimur, serui natura nascimur conditoris; nec prius datur nobis existere, atque inter ea, quæ sunt, connumerari, quam inter diuinitatis famulos recenseri. Adeo vera est antiquorum opinio; omnia magno, & paruo constare, hoc est, dominante simul, & seruiente natura; ita tamen, vt hæc ipsa seruitus, gloriosissima nobis omnibus plene fiat ex immensa Domini maiestate. Solum in nascente Virgine hæc ipsa naturalis seruitus diuinæ beneuolentiæ nouo portento

mi-

migrauit in titulum plane diuinum, & arctissimam cum ipsa diuinitate cognationem. Nascitur Virgo, non tam è naturæ, quam è gratiæ sinu, augustissima *Dei* Mater, nec prius illam diuina omnipotentia e nihili tenebris euocauit in lucem, quam diuina sapientia suam parentem peramanter agnouit, ac salutauit. Quanta, per vestram fidem Auditores, vno virginis exortu exoriuntur prodigia? quam admirabilia, quam supra rationis humanæ vires longæ progressa? Rebellis terra, & perduellium diuinitatis exilium pene ad inuidiam cœli, regia dominæ regnantis eua-

dit, cui non ſolum ſubiecta Cœlo natura, & ipſa cęleſtium vniuerſitas addictiſſima famulatur, ſed ipſe *Dei* filius Dominus Dominantium, iure Materno ſubditur, & ſub Imagine ſeruili plane ſubſeruit; Cœlum beatitatis auguſtale, & ſacrarium diuinitatis nouam decoris ac fœlicitatis acceſſionem accipit è natalibus Virginis; nouam ſiquidem Reginam, ac Regem, Deum videlicet hominem, & Dei Matrem duo quaſi maxima luminaria ſibi cum Virgine exorientia demiratur ſimul, ac veneratur; quibus ſolis ditata eadem Cœli fœlicitas, etiam ſi præcellentis nu-

mi-

minis augustissimum solium cæteroqui non esset, adhuc tamen immensæ voluptatis, ac beatitudinis esset regia sempiterna. Tota rerum vniuersitas in ortu Virginis super semetipsam exuberat, ampliorque diffunditur, quippe quæ solem fulgentissimum diuinitatis, quem inter tenebrarum impenetrabiles recessus prius adorabat per quandam venerabundam cæcitatem; nunc audita diuinæ Matris appellatione, Virginali amictum carne connumerat inter sua decora maxime singulare, & cum Virgine Nascente ipsa quoque rerum vniuersitas renascitur ad immensi numinis capacem

im

immensitatem: sed quid miramur Auditores Cœlum, terram, ipsam rerum vniuersitatē in amplissima decora natali Virginis dilatata, si diuinitas ipsa quæ naturali bonorum omnium infinitione sibi super omnia sola sufficit, admirabili transfusione sui in orientem puellam, nescio quid contraxisse visa est, quod certe, si quid addi posset immenso *Deo*, appellaremus diuinitatis additamentum. Æterno siquidem *Dei* Patris Filio vere additur Virgo Mater, quæ non audaci figuratæ loquutionis licentia, sed Materni iuris naturali possessione, eundem ipsum, suum filium appel-

pellare possit; & quisquam inficiabitur, exortu Virginis amplificari quodammodo diuinitatem, quando Dei Filio parentes augentur, & noua inter Deum, & hanc Virginem consanguinitate contracta, quo nomine Deus Filius, Deum Parentem appellat, eodem etiam parentem virginem iam salutat? Ex relatiua Patris, ac Filij oppositione distinctionem personarum in Deo deducit optime cœlestis cortina veritatis, quid nunc eadem in diuina Matris, & Dei Filij verissima nuncupatione deducet? Certe cum inter diuinas Personas Matrem *V*irginem (quippe Diuinę opus Om-

nipotentiæ) connumerare nefas omnino ſit quaſi appendicem quandam diuinitati additam venerabitur quæ ob cōiunctiſſimam cognationem cũ Deo, neſcio quid plane diuinum apparet,& ne Deus eſſe abſolute pronuncietur, ſola in ipſa, diuinitatis capacitas deſideratur. Hinc eſt Auditores, quod prima Chriſtianæ Religionis Lumina vbi primum auguſtiſſimam Virginem inſpexere diuinitate præditam reputaſſent, niſi oculorum fidem diuina oracula repuliſſent. Hinc eſt, quod ipſa veritatis magiſtra chriſtiana Religio quam plurima,quæ de ſapientia diuina diuinitus e-

nun-

nunciantur, tamquam de virgine prolata recenseat; Tantam enim similitudinem inter Deum, ac virginem admirantur, vt quæ vni apte congruũt, possint de altera non inepte prædicari. & cui cum ipsa diuinitate tam arcta sanguinis intercedit cognatio; sit etiam communis laudum, & indiuisa coniunctio. Quæ cum ità sint, sodales optimi, virginis nascentis Ephœbi, nos, nostraque omnia peculiari quodam ritu subiectionis infantulæ virgini mancipemus; quemadmodum enim ipsa, & Dei simul ancilla nascitur; & Dei Mater, ità nobis omnibus, & do-

dominam simul, & matrem amantissimam se præstabit.

VIRGO PEREGRINA
SIVE
DE VISITATIONE B. V.
ORATIO HABITA
AD E. E. S. R. E. CARD.
IN SEM. ROM.

CONceptus in vtero Virginis Deus Infantulus, E.E. P.P. non satis habet in terris e Coelo peregrinari, sed arduum per nemora, & montes iter, terrestris etiam viator instituit: non dum præ corpusculi teneritudine plantas figere, & vestigia firmare potest; & difficillimam hanc expeditionem festinus aggreditur; adhuc ventris angustijs

coar-

coarctatur, & lõga viarum spatia maternis pedibus molitur ardenter: quis tantus est (per vestram fidem Auditores) viarum ardor? quæ tam immensa peregrinandi libido? Enimuerò qui fugitiuam è Cœlo nostram mortalitatem, & in suæ culpæ calamitatibus exulantem miserrime, reuocaret ad patriam fælicitatem, non alius esse debebat, quam diuinus peregrinator; Qui vel aspera festinus non peragrat, quod errabundum perit, reperire non potest; hominem à Deo profugum, Deus Viator peramanter assequitur, Diuino itaque consilio Virgo sapientissima, cum primum vterum,

an Cœlum, & anguſtale diuinitatis? geſtare cepit, ad Eliſabeth cognatæ domum iter expedita ſuſcepit. Non illam aſperitas viarum, non tenerrimi corporis imbecillitas, non ardentiſſimum latendi ſtudium, non rei nouitas, non ſua, non diuini fœtus defatigatio, non puellæ, non Virginis, non Dei matris nomen ab itineris conſilio retardarunt. Intelligebat quippe Virgo cordatiſsima Deoq; pleniſsima, Regem Regum ſuo claudi ſinu, non ad Imperia, ſed ad ſeruitia mortalibus obeunda, proindè ſedula feſtinat ad ancillandum. Obuerſabatur ob oculos exinanito

Deo

Deo, simillimam sibi matrem placere, quæ tantæ Matri: nomen, ac dignitatem prorsùs exinaniret, & viam arripit impigra, mõtium asperitate molestam, æstus inclementia noxiam, seruitij, quo tendebat abiectione, indignissimam. Egressus erat vt gygas ad currendam viam per spatia nostræ mortalitatis æternus sol immensæ caritatis igne præferuidus; an deses Aurora conquiesceret, nec suum, etiam cursũ celeriter moliretur? Ita profecto (Auditores) Quidquid cum sole coaelescit in vnum, vno pariter cum eo feratur impetu necesse est, non potest nisi vehementer arde-

re

re quidquid igne Diuino grauidum est. Peregrinationis auidissima viam vorabit, quæcumque peregrinabundum vtero concepit Deum: verum nihil adeo Virginem compulit ad itineris difficultates, & insolentiam, quam infantuli præcursoris emancipanda libertas, Iacebat ille non magis naturæ clausus ergastulo, quã transfusa primi parentis nequitia consepultus. Ibi genitilitiæ turpitudinis inustus nota, miseram cum ipsa vita cæperat seruire seruitutem Auernali Tyranno. Squallebat impurissimis miseriæ sordibus indigne fædatæ diuinitatis imago. In prima vitæ luce ne dixerim,

rim, an caligine? & potuisset momentum temporis continere se Virgo impuritatis, ac labis infensissima, quin perniciter aduolaret ad eximendam è turpi seruitute sui præconem filij? ad reparandum imaginem Dei prænunciam sanctitatis? ad prædam ex orci faucibus extrahendam? prædam à Diuino Concilio ad deprædanda tartara destinatam? Voluit anticipata liberalitate Virgo munificentissima rependere beneficium præcursori, quod non dum acceperat, vt prius ille Deum Infantulum cum Diuina Matre procurrentem ad se occulte venerabundus exciperet; quam,

quam, vt ab alijs idem exciperetur, passim concionabundus præcurreret. Præire ſolem non poterat, nisi lucifer, & lucifer eſſe non poterat, niſi prius eidem illuceret Aurora: Index non horarum, & temporis interituri, ſed æternitatis, & vitæ perennantis eſſe debebat, id circo prius quam lumen mortalitatis aſpiceret, imbuendus erat æterno lumine diuinitatis, & vitæ: merito ſane Mater auguſtiſsima cunctationis impatiens properabat, vt vocem ad Cœli præconium mortalibus iam venalis diuino conſonam Verbo ſuæ redderet ſalutationis afflatu; potentiſsima Virginis vo-

voce Dei verbo iam plenæ vox illa formanda erat, quiæ nihil donare posset nisi Deum. Currit ad humanæ restaurationis exordium fælicissimum nostræ fælicitatis. Sospita, cum inde mortalium salus captura esset initium, vndè Ioannes, & vitæ spiritum traxisset, & vocem. Enimuerò dum virgo per montium excurrit iuga sedula festinatione, non tam permeare viam videtur, quam illam sternere nostræ fælicitati, vt per eam inoffenso pede regrederetur ad Cœlum: Nobis parat, dum sibi conficit viam, ambulatrix hæc solertissima: Eo enim contendit vt interclusæ salutis aditum

aperiat illi, qui viam adornaturus erat nostræ beatitatis assertori. Quiescere Cælestes orbes omninò nesciunt, quia desinerent esse Cœlum, si desisterent à perenni beneficentia in subiectam naturam. Et Castissimæ Virginis vterus vbi primum cępit esse Cœlum, & Sacrarium Diuinitatis, quietem odit, sese vrget, & properat ad beneficia mortalibus largienda. Ignem concipere, & impetum diutius cohibere, nec naturæ potentia, nec artis industria, nec necessitatis violentia potuere. Quid Virgo Diuino igne concepto, nonne moras omnes abrumpat, & quo impetus fertur incendij

sa-

ſalutaris, eo celerrimè prouolet, ſalutem, vitam, fauſtitatem allatura? Quam ſimillimis conſonant litteris Amor, & Mora, tam infenſis inter ſe odijs diſſonant, quantum quiſque morari poteſt, tantum neſcit amare. Hinc etiam Auditores, Quod moras pati non poſſit amoris æterni ſponſa, & Verbi mater hominum amantiſſimi, ſed pernix, & indefeſſa feſtinet ad properanda humanæ fælicitatis exordia: diuinos animo iam induerat mores, cum vtero excepit Deũ, Idcirco non ſatis habet patrocinium noſtræ mortalitatis ſinu prouehere, ſed ipſum præoccupat circumferre mortali-

bus, vt non solum patrona mortalium videatur, quia Deum pariet nobis patrocinantem, sed quia, dùm cessare cogitur adhuc infans, ipsa materno iure partes suscipit Patrocinii: *Deum semper sine cunctatione quæsierat Virgo integerrima, eo inuento, & sua in viscera planè redacto, quam suauiter quiescit in Deo, tam celeriter hominem quæritat, in quo Deus ipse conquiescat*, Perge igitur perge cum festinatione *Diuina* Mate; hęc enim tua festinatio, amoris tui placidissima quies est. Nos, si quietem optamus Matri Virgini, & Infanti Deo, corporis hospitium vtrique rade-

pi.

mus

mus, vt ad illud cum festinatione contendant. Qui enim amat, tunc solum defatigatur, cum quiescit benè facere, tunc maximè conquiescit, cum festinat ad beneficia.

NOVAE VOCIS ADMIRABILITAS SIVE ORATIO

IN VIRGINIS DEI PARÆ VISITATIONE

HABIT. IN S. R. AD EM. S. R. E. CAR.

SI splendida, & ingeniosa mendacia poetarum Em. Principes quibus ad Amphionis personantem lyrã, Orpheique modulantis cantũ aurita saxa nouo quodam voluptatis sensù sponte prosèrpere, Siluas auulsis impètu suauitatis radicibus erectas ho-

hominum more concurrere, ventos, & flumina iucundissimæ afflatu dulcedinis delibuta subsistere, per festiuam audaciam cecinerunt, speciẽ aliquam veritatis possent induere, non illepide, nec indecore contenderem hodierna luce, reuera contigisse potentissime Elisabethæ vocibus excitata. Quid enim vel Naturæ admirabilius, vel optabilius Gratiæ, vel rerum creatarũ vniuersitati præstabilius singi posset, quam Oraculum illud oraculorum Miraculum, ab ore, non tam Elisabethæ, quam veritatis accipere, MATER DOMINI MEI? Reuocate, si placet, in memo-

riam voces omnes, quas humana ſimul ac diuina protulerit ſapientia ad noſtræ mortalitatis, vel gloriam, vel vtilitatem, vel etiam oblectamentum; nullam profecto reperitis, quæ ſono ſubmiſſiſſimo non veneretur tanti nominis excellentiam ac dignitatem. Beneficia non minus, quam operoſa concrepuit vox prima Diuinæ Potentiæ, & efficaciſsimum illud FIAT, vel ab ipſo nihilo reuerenter exauditum, quod Cœlum, Terras, Elementa, Plantas, Animantia, ipſum hominem euocauit in lucem, & ad ſpectabilem hanc rerum aptè concinneque diſpoſuit, vt tan-

dem omnia in vnicam conſpi-
rarent addictiſsimam condi-
tori Numini ſeruitutem. At
verò non prius auditus vocis
hodiernæ ſonus, nec noſtræ
mortalitatis anguſtijs claudi-
tur, nec vniuerſæ Naturæ fi-
nibus cõtinetur nec Terræ Cæ-
lique ambitu circumſcribitur;
maior eſt, ac plenius perſonat;
quam vt rerum conditarum
amplitudine poſsit capi, ſidera
ſtellarumque verticem tranſ-
greditur, & per vniuerſam
diuinorum nominum celſitu-
dinem auguſtiſsimè ſpatiatur
In terris quidem, ſed non è
terris ortum ducit hæc vox, eſt
quippe diuini ſpiritus modu-
latio, Deique verbo conſonat
ſupra

ſupra modũ conditionemque mortalem: Non illa ſeruitutem erga Dem, non obſequiũ, dicam audacius non ſubiectionem rebus omnibus inſitam innatamq. reſonat, ſed maternum erga Deum filium ius, ſed quamdam Dei hominis erga parentem ſuam reuerentiam, ſed ſuauiſsimam amoris reciproci inter matrem & filiũ teneritudinem, ſed ampliſſimam in Diuina filij bona poſſeſsionem, ſed in Deum Matris auctoritatem. Si nomen ſubiectiſsimæ ſeruitutis, quá erga præpotentem Deum digniſsimè colimus, regium plane eſt, coronamque beatitatis immortalis ſeruientibus

imponit, faustissimum Dei Matris nomen, quod vniuersam filij hæreditatem, hoc est, bona omnia possidet, ipsique Deo Materni sanguinis cognatione conuertitur, quo poterit insigniri nomine, nisi Diuino? qua decorari torque, nisi amantissimi Dei complexibus è matris, collo pendentis? Si primæua Mortaliũ parens, hoc solum nomine, quod Mater hominis euasisset, verè potuit gloriari, possedi hominem per Deum, Non ne verissima Dei parens, vel hoc ipso parentis nomine potèrit gloriosissimè pronunciare, possedi Deum? O Possessionem supra quam excogitari

possit

posſit copioſiſsimam! in qua peruerſo mirificè rerum ordine, omnium Poſſeſſor, ac Dominus Materno Virginis imperio poſsidetur: Audita hucuſque nomina fuerunt amplisſsima, & pleniſsime glorioſa, quid quid tandem continere poterant, è nihil o compactum erat, & natalitiam inanitatem miſere perſonabant; At verò ſub hoc Dei Matris nomine, quod nunc primum auditur, verbum clauditur, quod nemo loqui poteſt, niſi Deus, nemo vel auribus percipere, vel ratione complecti, ſed ſola diuinitatis fœcunditas concipit, parit, loquitur, comprehendit.

Clauditur tamen adeoque coarctatur. Materno nomine Dei verbum, vt ex hac ipsa coarctatione, & admirabilius in se personet, & nobis amabilius moduletur. Supremum Dei patris Nomen ineffabili diuinitatis fæcunditate *D*ei capax, & ferax, sua inter lumina, æterna Verbi, ac filij generatione splendescit nostræ mortalitatis oculis inaccessum; at diuinæ Matris nomen totam illam Dei filij immensitatem ac lucem nostræ ingerit angustæ capacitati, exhibetque speciose notabilem, admirabilius amantiusque contractum; vt diuina ipsa vel admirabilitas vel amabilitas

tas accessionem quamdam admirationis amorisque mortalium sibi vindicent, quod Dei Deus, Virginis filius audito Deiparentis nomine, pernoscatur. Quemmadmodum denique Dei. Patris nomine non tantum Diuinitatis Maiestate nos obruit, quantum eiusdem profusione nos erigit, euocatque beneficè ad sui communicationem filij, vt Dei filij nominemur, & simus, ita Dei Matris nomen, Diuinam pariter beneficentiam imitatur, dum nos, vt filios suos, materna beneuolentia peramanter complectitur; vt nostrum omnino sit nauiter, viriliterque conari, ne per-

degenerem morum dissonantiam, Diuinæ, nostræque Parentis nomini absurdissimè discrepemus.

OBTVTVS IN DEVM
SIVE
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
ORATIO
Habita in eiusdem Templo
AD S. R. E.
CARDINALES
A GVGLIELMO BRVSATO
Montisferatensi Sem. Rom. Clerico.

QVOD omnibus ferè causis, ac necessarium omnino fuit, aut certè quàm maximè profuit (PP. EE.) id ipsum video in celeberrima de Sanctissimo Viro panegyri

vel

vel ſuperuacaneum prorsùs, & infructuoſum accidere, vel potiùs non mediocriter obeſſe dicenti; amant ſiquidem Oratores luxum illum, & ſecretiorem gazam oratoriæ ſupellectilis, nec ſine multiplici condimento laudes cuiuſquã proferunt concioni; mihi verò proptèr eximiam Romanæ purpuræ, atque Curiæ pietatem ergà Patronum, ac vindicem integritatis ſuæ incomptus nuduſque ſermo quærendus in præſentia eſt; nec verborum fuco, nec illecebris; ſed mero virtutis nectare tàm auidæ religioni litandum: reſpuit enim laudis audiendæ ſtudium laudatoris in-

tertexta crepundia; & si quæ excidat vocula, quæ laudem per se ipsa non sonet, tanquàm infensam auersantur aures, & expetitis laudibus obstrepentem; atque vti pretiosissima gemma superinducto artis medicaměto deturpari potiùs, quàm decorari videtur, sed in amabili venustior emicat negligětia, & in sua ditior nuditate superbit: it sanè laus IVONIS in hoc amplissimo terrarum Orbis vniuersi Senatu eius laudum studiosissimo, alienum refugit Oratoris ornatũ, propriæ decus venustatis exposcit. Benè est (Aud.) consultum vestræ fami, consultum inusitatæ Orationis nudi-

tati

tati, quam laudis excellentia sibi vendicat, satis iàm Intelligitis dùm laudatorem hic me videtis. Verùm licèt Oratoris tenuitas faueat causæ, quod puram, & se ipsa conspicuam afferat sitientibus laudem, in vnum tamen obtutũ mentis acerrimum, quem à Diuina specie nunquam IVO deflexit, vniuersa flectetur Oratio. Simulacrum Diuinitatis, sicùt & cæteri rationis Compotes, fuit IVO, sed eò ipsum elegantiùs concinnauit, quò perfectiùs illam expressit; Si quod summum ac præcipuum in eo dici fas est, in quo quidquid inest & cumulatissimum, & omnibus

om-

omninò partibus absolutissimum nitet; summa quidem in Deo bonorum omnium, ac nitorum infinito compendio dignitas est; se ipsum semper intueri, & ex intuitus felicissimi perennitate Diuinam sibi summæ beatitatis copiam exhaurire. Prima etiam in homine, magni videlicèt Numinis effigie perfectio dicenda est, non modò cùm perpetuus illuxerit dies, in pelagus immensum lucis immergere mẽtis aciem, sed sub hac etiam nocte, quoquo tandem liceat modo, nunquàm ab aspectu summi Numinis oculos, animumque diuellere; adeò non pulchrum aliquod solum, &
per-

perfectum in se se Deus est, sed quidquid in eum tendit pulchrum efficit atque perfectum. Intuemini iam, si placet, IVONIS mentem adhuc sub Imperio mortalitatis liberè volantem ad Deum, & in humanarum æstu vicissitudinũ, per insurgentis gloriæ tumores, fluctusque deliciarum, ac dignitatum, in Diuini serenitate vultus placidissimè quiescientem. Puer adhuc è parentum amplexibus se distraxit, vt in *D*iuino solummodo foueretur sinu. Parisios primum, deindè Aureliam contendit, communes in Gallia doctrinarum altrices, vt Diuinarum studio literarum tan-

quam Cælesti chelidonia mẽtis oculos ad carum Dei prospectum magis magisque redderet perspicaces. Studet ille quidem Sacris Literis, ac Iuri Pontificio, sed in ijs implumis adhùc Aquila Diuinæ Sapientiæ non degener Diuinos indefessa radios intuetur; Non enim tibi iuuenum, vt fit, licentia, non luxu, non delitijs, non ludi, viniq. hilaritate delectabatur, non alta quædam spectabat honorum fastigia, magniq. nominis speciem gloriosam, sed opes Sapientiæ sibi comparabat ad inopum leuamentum, sed ingenium exercebat, & linguam, vt Dei causa fortiùs dimicaret, sed animũ

ex-

excolebat, vt Deo, perenni vernaret florum tributo, breuissimè dicam, ad oris Diuini familiaritatem sibi faciebat gradum. Ex ea subindè palæstra euocatus ad lucem Iudiciariæ potestatis, ex auditore iam Arbiter satis ostendit, suos ibi oculos altè defixisse, vbi & libratur æquitas, & confirmatur constantia, & excitatur sedulitas, & misericordia procreatur: Perstringit sæpenumerò mentem honoris afflatus, & potentiæ quandoque moles prius quàm subiectos, ipsum opprimit dominantem. Sed vtrumque in IVONE, cum vitia exuit consueta, tum eius naturam induit, Deumq. si-

mul cum eo ſpectare, & poteſtas, & honor videbantur, pretium Iudicis labori debitum recuſauit, ſiuè quod ſummum eſſe pretium duceret ipſam iudicandi virtutem, ſiue quod nollet argenti ſub inopia iuſtitiam diu iacere, ſiuè quod nitor omnis illi ſorderet, vnus tantummodò luceret Deus; Sed qui aurum alienum repudiabat, vt iudicia ferret, egenis èrogabat de ſuo, vt cauſas ij proſequerentur inopia pecuniæ langueſcentes, non ſuas certè magis, quàm IVONIS: voluiſſet illis vt Iudicem, ſic defenſorem, patronum, ac patrem gratis exhibere ſeſe, ſed quæ tribunal prohibebat,

quo

quo minus ipſe per ſe præſtaret, ſuo certè precio per alios tranſigenda curabat; *Sic* dum omnes eſſe cupit IVONES, hoc eſt inopiæ miſeriæque fautores, quia ſemetipſum in alios transfundere non poteſt, ſua quidem certè profundit. Quid, quod inopem damnaturus, priùs argento ſuo iacturam Iudicij redimebat, quàm ſententiam ferret? Adeò certabant in IVONE virtutes, vt quod Iuſtitiæ ſeueritas ab indigente detraheret, prius miſericordiæ benignitas reddidiſſet. Quod ſi earum rerum, quæ nihil ad ſe ſpectarent, tàm ſedulus ſatagebat, quàm ſolerti credimus ardore, cura, induſtria, la-

laboris assiduitate, quæ sui essent muneris prosequutum? Res est adeò plena tricarum, & ambagibus implicita forensis reciprocatio, vt qui pedem in illam inferat, persæpe velut in errore Dædaleo nec ad metam adire, nec ad ostium reuerti possit; at quod litium natura fert, abstulit IVONIS solertia; excipiebat quidem intento animo rationum momenta, quæ vtrinque afferebantur in Causa; sed ea secum ipse perpendebat, illis exagitãdis noctes insumebat insomnis; eorum discussioni opera, studio, sollicitudine, sudore ipso insistebat; denique non ad humanæ tantum rationis fa-

ſaculam, ſed in eo, qui ſemper ob oculos effulgeret, Diuino Sole librabat. Quarè vt illius orationes lucernam olere dictæ ſunt, quod ad lucernam nimium fuerant elaboratæ, ſic forcaſsè aptius IVONIS iudicia, quod ad lumen Diuinum expenſa diù fuerant, Deum ipſum ſapere dici poſſent; hoc pacto litium difficultatem Iudicis diligentia, inopiam miſericordia, ſolitudinem patrocinium, diuturnitatem ſollicitudo vincebat. At quem in leuamine miſerorũ clarius inſpiciebat Deum, è tribunali, tanquàm è remoto vertice non eſt paſſus diutiùs contemplari: Magiſtratu

se abdicat : transuolat ad partes inopum: illis patrocinatur: illorum causas vrget: illis omnem operam, curam, industriam, se totum impendit; Vidisses IVONEM pauperũ caterua stipatum circuire nũc forum, ac propemodum concursare compellare iudices, ac forensem cœtum, precari, commonere, cohortari, compellere, nè quid calamitosorum caussis aut moræ crearetur, aut damni nunc erecta fronte, succenso vultu, oculis pœnè scintillantibus egenorũ Causas agere; manare vndequaque sudore ac præ contentione pœnè dissolui: nunc ad suos ipsum Clientes, hoc est ali-

aliqua deiectos calamitate, cômeare, eos quærere, eos percontari, cum ijs agere, & cum patroni diligentia clientis etiam partes, ſolicitudinemque coniungere; miſeris diù noctuque patebat IVONIS domus, an Aſylum publicæ paupertatis? alacres excipiebant aures miſerorum voces: non cibus, non ſomnus, non quies, non corporis, animique laſſitudo illorum ad IVONEM aditum occludebant: vt non tantum illi viderentur in IVONIS patrocinio reſpirare, quantum IVO in illorum conſuetudine triumphare. Sed è forenſi publicaque luce ad priuatæ vitæ domeſticas tene-

bras euocamur. O tenebras decore Virtutum omnium luculentas! O lucem è purissimo luminum fonte deductã! Claram ille spectabat in sese imaginem Cõditoris sui, eam pulchriorem in dies reddere nitebatur. At quo pennicillo? quibus coloribus, ac lineamentis? perenni sui victoria, corporis, animique crucicitibus, virtutum omnium incrementis. Hispidum rigentibus pilis amiculum, adhærebat corpori. vt aculeatos secum haberet admonitores, nè quid vnquam à Dei prospectu desisteret: Cibo vel vtebatur vilissimo, vel abstinebat omninò, vt, vel necessitatem

ip-

ipſam frangeret, vel ſi quando illi cedere cogeretur victor ſanè ſuccumberet; quietem, ac ſomnum non tàm capere videbatur, quàm abigere, lucta verior ſomni, ac vigiliæ, laſſitudinis ac laboris erat IVONIS quies: eoque certè ſeuerior lucta, quod non vt olim in arena, mollique ſolo, ſed in nuda, rigidaque humo peragebatur: Diuinorum codicem oraculorum capiti ſupponebat; vt cum oculis, animoque illis frui non poſſet, Diuino ſaltèm attactu, quaſi Diuinas inter manus, Diuinum neſcio quid in ſomno duceret, ac reſpiraret, hanc tamen quietis inanem ſpeciem nè in-

tegram quidem neceſſitati conceſſit dempſit, quod potuit; quod in re miſera iucundiſſimum erat, abſcidit, ac Deo ſacrauit; Vix enim oculos naturæ clauſerat, cùm ſtatim aperiebat Deo, & nocte media gratiſſimi ſoporis donũ cum ſacrificio laudis flexis genibus immolabat; vel potiùs pro viua mortis imagine ſuauiſſimam quietem ſibi mutuabatur à Deo: cum ibi dulcius quieſcat amor, vbi propius aſſidet, quod amatur. Toruis profectò ac ſeueris oculis Diuinam in ſe formam luſtrabat IVO, quò illam accuratius exornaret; at in alijs quanta ſemper obſeruantia coluit!

quot

quot officijs excepit! quibus est ſtudijs proſequutus! Quis enim ſub eo Cœlo vixit aut inopia preſſus, aut orbitate ſolus, aut ſuorum abſentia deſtitutus, aut caſu aliquo miſeriaque poſtratus, qui liberalitatem, tutelam, ſubſidium, paternum ſinum in IVONE paratum non inueniret? Quis hoſpes, quis rerum indigens, quæ Mendicorum fæx, quæ miſerorum colluuies tàm fœda, tàm abiecta, tàm ſordida, quæ ſæpiùs non manſit apud IVONEM? cibũ cum IVONE non cepit? non in delicijs IVONI fuit? Quid memorem veſtes identidèm cum pauperibus commutatas? Inopem fa-

familiam annos nouem secũ vna degentem? communes hospitibus ædes? exhaustas in egenos penum ac mensam, sed diuinitus restitutas? Quid dicam, quotiès oblitus sui, suas epulas, hoc est , frustulum panis effudit in pauperes, quod liberalitatis ardore velut auctum, & extensum in eius manibus numerosæ multitudini satis fuit? Quid referam, cum iter faciens capitis tegumentum tradidit mendicanti, ad solis ardores ac pluuias Deo suo satis tectus, ac tutus; cuius deinde manu obsequi s cum IVONE certante redditum fuit Capiti decus iàm inter Optimates *Dei* recensito: illud

cer-

certè præterire non possum, quod ipsa Dei Sapientia nec tacita præterijt, nec velata. Considebat ad mensam IVO, cum æterni Patris filius, qui nostrā in se transfuderat mortalitatem, cum IVONE tanquàm suo cum familiare facturus ludos, sub squallenti mendiculi specie illi se obtulit: IVO qui Deum in squallore situque pauper veneraretur amicè famelicum inuitat; in sella sibi proxima comiter locat; in eadem secum patina cibum capere subuerētem cogit. Epulatur in eadem lance cum IVONE Deus, sed interna magis animi virtute capitur, pascitur, conuiuatur. De-

ciperis quidem IVO, ſed deciperis à iocante *Deo*: Dei te putas excipere ſimulacrum, ſed ipſam excipis Conuiuam *Diuinitatem*. *O* felicem deceptionem à ſumma veritate confictam! *O* amabilem dolum familiaris *Dei*! delectatus IV*ONIS* hoſpitio maieſtatis auctor & ingenua liberalitate veluti ſatiatus, hoſpitis tandem oculos explere voluit; viliſſimi capitis diſciſſa ſpecie, æternæ gloriæ ſplendorem IV*ONI* diffundit; & ridenti ore, quaſi benè iocoſa cum amico fallacia proceſſiſſet, ſe prodit ſimul, & conuiuatori pacis donum iucundiſſimis vocibus impertitur.

Non

Non iam admirabor ampliùs quod eum sub humano sæpè corpore beatæ mentes inuiſerint quod cæleſtis in templo Columba palam Diuina luce perfuderit; quod imolanti *Di*uinæ charitatis Hoſtiam globus igneus ſuprà verticem ſteterit; quod ſeptem ipſos dies Diuino paſtus aſpectu, cibis abſtinuerit, non exactos morbos; non reſtincta incendia; non ſiccam in flumine viam; ſtantibus hinc inde aquis & venerantibus tranſeuntem tot admiranda viri prodigia non mirabor; ſatis ſuperque ſtupidus hæreo, quando *D*eum ipſum video cum *IVONE* degentem, prandentem, fami-

liariter colludentem; Hic etiam admirabunda mea ſiſtet oratio. Vos hinc ducere poteſtis coniecturam, quanto niſu, ſtudio, vigilantia, priuatus & publicus, domi, foriſque, in ſeipſo, & in alijs toto vitæ decurſu *Diuini* ſemper oris expreſſerit ſibi figuram, cum intelligatis pulchritudinis æternæ decus, vt *IVONIS* oculos experiretur in ſe ſe, domum eiuſdem adijſſe viliſſimè perſonatum.

SPECVLARE CARITATIS INCENDIVM, SEV ORATIO DE. S. IVONE *PAVPERVM PATRONO*

Habita in eiusdem Templo

AD S. R. E.

CARDINALES

A IO. BAPT. PAVLVCCIO PISAVR. Sem. Rom. Clerico.

ARtis & naturæ singulare miraculum habitum est, Eminentissimi Principes, quod obiecto solis radijs siue concauo, siue parabolico speculo, sic illi in vnum cogantur, vt dum in eodem decussantur puncto ignem excitent vehementem, & incendium repentinum; Cur autem con-

tra

tra consuetum agēdi modum tanta vis caloris in eo puncto procreetur, cum cæteroqui multò remissior in locis eidem soli propinquioribus appareat, satis explicat Philosophia, quia nimirum reuerberata solaris virtus obiectu speculi perinde in idem confluit, ac si pluribus quasi vijs idem sol eidem applicetur puncto, ac totidem è Cœlo soles agerent, quot in speculi superficie partes accipi sensibus possunt. *V*erùm quod in solis actione miramur Artis industria quodammodo multiplicata, id in diuina Gratia perfectum admirabilius intueamur IVONIS virtute pluribus etiam vijs sui

pe-

pectoris centro applicata ad immensa diuinæ caritatis incendia, IVONIS quippe vita vnus fuit obtutus in Deum, quem à diuina pulchritudine numquam deflexit; IVONIS mens, vbi primùm potuit Deum cognoscere, adeò semper diuini solis radijs aperta constitit, vt mirum planè non sit, si cor eiusdem *Deo* totum exarserit. Puer adhuc è parentum complexibus, paternæque domus blanditijs abtraxit sese, vt diuinis solum delicijs totus pateret animus, & inhiaret. Parisijs primùm, deinde AVRELIÆ rude ingeniũ dininarum studio litterarum expolire conatus est, vt tersissi-

ſimum redderet ſpeculum, cœleſtis nempe ardoribus ſapientiæ ſuſcitandis aptiſſimũ. Non enim ibi iuuenilis licentiæ, non luſus, non ludi, vinique hilaritas, non honoris, nominisque ſpecioſa ſuperbia iuuenis animum à perpetuo diuini ſolis intuitu diſtraxere, cuius vnicus erat finis in ſapientia comparanda, Dei cognitio, pauperum leuamentum, egenorum defenſio, exercitatio caritatis. vno verbo, Deus. E litteraria palæſtra euectus ad apicem iudiciariæ poteſtatis, quantum diuinæ lucis opulẽtiam in vnum coëgit in publica quaſi luce ſpectabilis! Hinc ſedulitas in cau-

ſa-

ſarum rationibus pernoſcendis, hinc patientia in omnibus audiendis, hinc æquitas in ferenda ſententia, hinc conſtantia in perfrigenda potentiorum auctoritate, hinc miſericordia in ſubleuanda miſeria, hinc mentis acies Deo ſemper defixa ignem illum conflabant, ad quem accendendum deſcendiſſe de cœlo Deus ipſe gloriabatur. Emolumenta Iudicis labori debita conſtantiſſimè recuſauit, ne qua nubecula è terrenæ cupiditatis vapore diuino ſoli iuſtitiæ obduceretur, ſed dum aliena repudiabat, vt iudicia ferret, ſua largiebatur egenis, vt cauſas proſequerentur ino-

pia pecuniæ languefcentes; & quia patrocinari pauperibus ipfemet è tribunali non poterat, fuis certè opibus ipforum patrocinium demandabat: at ne mifericordiæ lenitas æquitati iuftitiæ quidquam detraheret, mulctam, quam inopi ftatuebat vt Iuftus, anticipata pecuniæ largitione redimebat vt mifericors; & inaudito caritatis miraculo in IVONIS iudicio mulctari optabilius erat, quam abfolui; Adeò idem IVO omnibus omnia factus fefe transfundebat in omnes, vt multiplicatis vicibus diuinam in fe lucem reflecteret, & in immenfum augeret. Verum non eft

passa diutius misericordia, personam iudicis in IVONE; totum suarum voluit esse partium, integras ipsius vires in vnum coëgit pauperum patrocinium. Quod tunc, *Deus immortalis*, *spectaculum* erat in Gallia, IVONEM cernere per tribunalia pauperum causas agentem, pauperum tuguria subeuntem, pauperum miserias complectentem, singularem patroni diligentiam cũ indefessa clientis sollicitudine in egenorum commoda coniungentem! Quis solis æstus, quis noctis rigor, quæ temporis inclementia, quæ cibi, quæ somni necessitas, quæ corporis, animique lassitudo, quæ
lo-

loci, quæ temporis importunitas, quæ debita humanæ vitæ remissio diuellere IVONEM potuit è pauperum leuamento? Vt profectò singulis pauperibus infallibilis esset consecutio illa diuinæ propria caritatis? Est pauper; ergo IVO totus in eo est. Sed quantum aderat calamitosis, & indigentibus, tantùm aberat à seipso: sui cultum corporis rigente setis amicula prosequebatur; famem vel cibo vilissimo mitigabat, vel ad extremam vsq; necessitatem patiebatur, vt cum illi cedere cogeretur, victor planè succũberet; somnum nõnisi post longam cum vigilia luctam admittebat in

nu-

nuditatis, rigoriſque palæſtra, hoc eſt nudo, rigidoque pauimento, & vix oculos naturæ clauſerat, cum media nocte rurſus aperiebat Deo profuſus in preces, quin diuinarum volumine litterarum capiti ſuppoſito diuinum quiddam in ſono trahebat, ac reſpirabat. Quid multa? abiectiſſimi pauperis perſonam ſibi aſciuerat IVO, IVONEM ipſum in pauperes diuina quadam commutatione tranſmiſerat. Nihil enimuero fuit in IVONE, quod pauperum omnino non eſſet, non domus, non menſa, non cibus, non ſupellex, non argentum, non ipſe IVO. Quæ fuit medicorum lex tam

ſor-

sordida, tam abiecta, quis miserorum squallor tam despicabilis, profligatæque fortunæ, quæ calamitosorum fœditas tam iuquinata, tam perditas tam inquinata, tam perdita, quæ in IVONIS dnmo nō manserit, cibum cum IVONE non sumpserit, IVONIS suppellectile via non fuerit? Quid commemorem inopum familiam nouem ipsos annos IVONIS domo mensa, pecunia blanditi alacriter, perfruentem? vt sane redeuntes toties temporum vices mirarentur ad eo perseuerantem Iuonicanæ caritatis ardorem: cum IVONE degentem? Quid eiusdem vestes non tam sibi, quam pau-

pe-

perum nuditati sæpissime destinatam? cum pauperibus commutatas? Quid frustulum panis sibi paratum in epulum diuinæ liberalitatis miraculo multiplicatum ad numerosæ multitudinis satietatem? Quid traditum pauperi sui capitis pileum, & ipsum nudato vertice, quanto vilius incedentem, tanto nobilius Dei patrocinio tectum? Illud vnum tacitus dissimulare non possum, quod non modo incendiariam in IVONE caritatem à multiplici virtutum conspiratione demonstrat, sed ipsum in incẽdio Deum clarius, quem in rubo Mosaico præsentem exponit. Sub egeno-

rum

rum squallore Dei formam fuerat veneratus IVO tam certa fidei constantia, tam inflammato studio caritatis, vt in eo iucundissimo spectaculo è spectatore personam agere Deus ipse voluerit. Ergò miserabilis mēdiculi specie personatus accedit ad IVONEM Dei Patris Filius, alacriter ab ipso excipitur, inuitatur ad mensam, in eadem planè lance epulantur lautissimè Deus, & IVO. O ludos amabiles iocantis cum IVONE DEI! O conuiuæ diuinitatis epulū cœlo inuidendum! Quid vltra tendimus Auditores? Admiramini iam in IVONIS domo non radios modo cari-

ri-

ritatis coalescentes in vnum, sed ipsum planè Solem Diuinitatis inaudita violentia caritatis adductum.

NVNDINAE CARITATIS SIVE ORATIO DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO

Habita in eiusdem Templo

A VINC. SPIGARELLO EVGVBIN. Sem. Rom. Clerico.

PRudentia Principum singulari factum est Eminentissimi Principes, vt ad publicam populorum vtilitatem statis anni temporibus absque impendio vectigalium merces venales exponerentur in Nũdinis, vt sibi quisque suæque familiæ quæcunque opus es-

ſent faciliori pretio compararet. At multo prudentiori conſilio Diuina munificentia per varias Terrarum Orbis plagas virtutum nundinas, quandoque concelebrat expoſitis in ſanctiorum hominum vita pretioſiſſimis Cœli opibus, non auro, nec pretio, ſed ſola nobis imitatione venales; ità non multis ab hinc ſæculis exhibuit Gallijs in admirabili Sanctimonia IVONIS opulentiſſimas nundinas Caritatis, quas non ſine voluptatis lucro, & optabili animi commotione breuiter hìc de more luſtrabimus. Ac primò quidem teneriorem IVONIS ætatem non immeritò nundinarum

di-

dixerim apparatum: nam & Parisijs, & Aureliæ, humanas, Diuinasque litteras, & vtriusq; potissimum Iuris doctrinam in animo congessit, cùm intelligeret optimè, Caritatem ardere quidem sibi posse, lucere alijs non posse sine lumine sapientiæ Singulæ Doctrinarum notæ Iuuenis animo impressæ, præfulgentes erant gemmæ, non allicientis gloriæ spe, non diuitiarum cupiditate, non ipsa voluptate scientiæ, non speciosa nominis superbia, non vlla humanæ rationis opera, sed vnius caritatis manu solertiùs elaboratæ. Excultum sapientia IVONIS animum euexit illicò

ad culmen Iudiciariæ potestatis, vt ibi suorum opum admirabile daret specimen ca i-tas, vel in ipsa acerbitate Iustitiæ, sed in hoc ipso Ardore prælucebat admirabiliùs caritas in egenos, quæ ipsorum causas accuratiùs pernoscebat, diuturniùs ponderabat, à Potentiorum, vel auctoritate, vel violentia validiùs defendebat, qua debita Iudicis sudori precia liberaliter recusabat, qua Egentioribus sua largiebatur amplissimè, ne pecuniæ inopia, vel causa caderent, vel certè languescerent, qua Parentis viscera cum ore Iudicis coniungebat, vt nullam vnquam pro-

tulerit ſentẽtiam ex præſcripto Iuſtitiæ, quam priùs non concoxiſſet in incendio caritatis; atque in hoc ipſo inauditæ virtutis decora ſpectemus attoniti; Pecuniæ mulctam, qua mulctare Pauperem cogebatur Ivo, nè Iuſtitiam læderet Iudex, de ſuo ſuppeditabat inopi, nè deeſſet, vt Pater. Ità in IVONIS tribunali nouo caritatis inuento ipſa damnatio abſolutione pretioſior ſimul, & gratior euadebat, nec IVONE Iudice iacturam facere poterat egeſtas, quin ipſa iactura fieret lucrũ in caritatis emporio. Verùm IVONIANÆ caritatis opulentiæ nimis anguſta ſpatia permit-

tebat Tribunal Iudicis, eundem ad immensiora vocabat publicum erga Pauperes patrociniũ. Patronus ergo Pauperum ex Iudice ingenium, vires, ſapientiam, conatum, induſtriam, fortunas, vitam, ſe totum impendit Indigentium cauſis, & miſerorum leuamento: ſed cur exiliùs Patronum Pauperum IVONEM dixerim, qui partes omnium in eoſdem cumulatiſſimè vnus expleuit? Etenim ſi eius diligentiam, curam, ſollicitudinem in ijs tuendis inſpexeris, pluſquàm Tutorem appellabis, ſi ardorem animi in alendis de ſuo, pluſquàm Nutricem, ſi aperta ſemper indi-

gen-

gentibus non dico domum, non penum, non supellectilem, non Crumenam, sed Brachia, sed Pectus, sed Viscera, sed ipsum IVONIS Cor plusquàm Matrem, ac Patrem, si exhibitam abiectissimæ Plebis quisquilijs seruitutẽ, plusquam vile mancipium, si addictissimam omnibus indefessi laboris assiduitatem omnis prorsus expertem lassitudinis, aut quietis, plusquam hominem, si denique multiplicem illam planèque infinitam in omni genere subleuandæ miseriæ contentionem, atque efficaciam, Omnibus omnia factum iure optimo prædicabis; Verba deficient, ac no-

mina quibus in IVONE ſignentur inuſitata virtutis ornamenta, vox vna ſufficiat: IVONI Pauperes Dei loco fuiſſe, *D*ei loco IVONEM fuiſſe Pauperibus. Quibus enim exprimam vocibus, gazam illam, è *D*iuinæ gratiæ theſauris expoſitam in IVONE, cum familiam inopem Domi ſuæ non vnum, aut alterum menſem, ſed nouem ipſos annos peramanter excepit, ac ſuſtentauit; cum capitis tegumentum egeno tradidit, & ipſe nudato capite ſuperbiùs Cœlo pileatus inceſſit. Cum paratis ſibi dapibus, nempè truſtulo Panis numeroſam multitudinē renouato Diuinæ liberalitatis

mi-

miraculo ſaturauit, cum veſtes identidem cum ipſis mendiculis, exutus planè veterem hominem commutauit, cum obſtrictus Cilicio humi recũbens, ſuppoſito ſolum Capiti Diuinarum volumine literarum, ſi quid tandem temporis ſibi ſupererat è Pauperum ſeruitio, non tàm corporis quieti, quàm eiuſdem afflictationi. ſuauiſſimus alijs, vni ſibi duriſſimus impendebat. Vnum tamen, vel renuentem ad ſe reuocat Orationem meam, quod nempè Verbum Æterni Patris ad IVONEM deuocauit in terras, vt in Nundinis caritatis ſpectator ſimul eſſet, ac Nundinator. Inſpexerat

Diuina Sapientia nihil esse tàm contemptibilis, proculcatæque fortunæ, quod IVONIS oculis Diuinam prorsus Imaginem non præseferret: Ergo vt amica fallacia ludos faceret cum IVONE *Deus*, Diuinam ipsam pulchritudinem Pauperis abiectissimi specie aptè contexit. Excipitur de more festiuissimè, IVONIS ad mensam assidet, epulatur, colloquitur amicissimè cum IVONE; ita qui nunquam deceptus fuerat, Deum in Pauperibus agnoscẽdo, nunc sapientius à Diuina fallitur veritate, *Deum* loco Pauperis excipiendo. O felicem *Deceptionem*, O Iocos Amabiles colludentis Diuini-

tatis. Quamquam nunquam verius Deum in Pauperibus es complexus, quam cum Deũ ipsum falsò pauperem reputasti. Vidistis admirabundi caritatis Nundinas in IVONE, superest, vt Euangelici mercatoris exemplo, quidquid caducum est, habeatis Venale, vt expositas caritatis opes in IVONE feliciter nũdinemini. *Dixi.*

IVO DIVINITATIS HOSPES ORATIO

Habita in eiusdem Templo

AD S. R. E. CARDINALES.

A FRANCISCO DE RVBEIS.

Serr. Rom. Clerico.

INTER amicitiæ vincula, & iura necessitudinis humanæ. (E. P.) nullum esse

communis hoſpitij coniunctione venerabilius, magiſque Sacroſanctum, & antiquitatis monumenta comprobant, & ſapientium voces exaggerant, & ipſa ratio naturæ ſocialis clarè demonſtrat. Mortalium ſiquidem bona ſingulis peculiaria, beneficia hoſpitij communicatione ſic efficiuntur communia, vt ex vnius tecti, & vix vnius Vrbis Incolis, totius Orbis Ciues mortales euadere quodammodo videantur. Verum in Iuone Sanctitatis inuſitatæ prodigio, nouam admirari licet hoſpitalitatis præſtantiam ſupramodũ, conditionemque mortalem; qua & ipſemet in terris inter
mor-

mortalitatis angustias Diuinitatem excepit hospitio, & Ciuis adhuc terrarum inter Cæli delicias amantissimè receptus est ab hospita Diuinitate. Quãquam quid Ego terrarum Ciuem eum appellauerim, cuius tectum Dei hospitis beneficio plane Cælum euasit, eò stellatis Orbibus admirabilius, quòd ibi iure maiestatis residet Deus, hic hospitatur titulo Caritatis. Percurrite si placet Iuonis vitam, lustrate domum, peruestigate studia, labores exercitationes, conatus; ipsum profectò, vel inhærentem Deo Cæli hospitem deprehendetis, vel ipsi Deo hospitalitatis officia comiter

ex-

exhibentem; vt non immerito ipsius mater Infantulum paritura, per quietem sibi visa fuerit gigantem eniti, qui non fabulosis impijsque conatibus, sed celsitudine caritatis cælum peruaserit hospes cæli, non hostis. Vix enim cunas egresso, non alio placuit diuersari sub recto, quàm sub cœlo sapientiæ, ac pietatis. Puer adhuc, sed in pueritia Cælo maturus, quidquid virtutem non redoleret, aufugit quidquid honestatem nō præseferret, exhorruit, quidquid Cælum nō saperet, nauseauit, qudquid omnino diuinus Amior non esset, constantissimè semper abiecit. Et quoniam

ex

ex oraculo Luciæ Virginis inuictissimæ didicerat peculiari quàdam prærogatiua virgines esse templa diuinitatis; quò gratius diuino numini pararet hospitium, perpetuo virginitatis nitore semet ipsum ad Cœli penè inuidiam exornauit. A teneris ergo annis virtutum omnium præstantioribus formis excultus Iuo, & sapientiæ purioribus imbutus fontibus, Iurisprudentiam præ alijs primum Iudex, deinde patronus exercuit, vt per eam facultatem, quæ tota in aliorum commoda deuoluitur, publico egenorum emolumento non tantum impenderet ingenij, quantum pro-

fun-

funderet caritatis. Vidiſſes in ſacroſancto Iudicis tribunali apertum paupertatis Aſylum, ærumnarum perfugium, calamitatis, ac miſeriæ leuamentum, languebant ad æquiſſimum Cœleſtis Aſtrææ tribunal potentiorum fauor, arrogantiorum audacia; opulentiorum fulgor, amicorum gratia, cognatorum auctoritas, beneuolentium preces, principum commendatio; ſola æquitas in eo ius dicebat, ſola patronum agebat calamitoſorum indigentia: intuebatur quippe Iuonis mens continuo Dei conſortio irradiata in pauperum ſquallore diuinitatem amabilius inſidentem, adeoque
non

non alio excipiebat caritatis amplexu pauperum causas, quàm quo ipsius Dei causam amplecteretur. Quod si quando æquitatis integritate compulsus contra pauperem ferre sententiam cogeretur, de suo mulctam liberalissimè largiebatur, & inaudito miraculo partes idem explebat Iudicis, & Rei, vt proinde ad Iuonis tribunal multò gratiosius esset damnari pauperem, quàm absolui. Et quisquam dubitabit Iuonis cor fuisse hospitium diuinitatis in cuius tribunali Dei simulacrum paupertas etiam damnata fouebatur amantius? At qui seuerus Iudex egestatem, vel condem-

nan-

nando, tam beneficè subleuabat, quam paternis eamdem putemus prosecutū esse complexibus patrocinando? Quæ fuit tàm destituta fæx hominum, tam rerum omnium egestate consumpta, tam abiectæ profligatæq. fortunæ, tam in publica, priuataque luce despicabilis, in qua viuidam corporati numinis imaginem Patronus suo non agnouerit, cui, & domus conclauia, & cordis penetralia benigissimè non laxauerit, quam oris hilaritate, laboris industria, bonorum largitione quotidiè non recrearit, cuius miseriam non duxerit planè suam; vt non magis Christum paupe-

res

res præseferre viderentur, quàm pauperes Iuo. Iuonis Domus, non tàm ad Iuonis vsum, quàm ad pauperũ commoda semper patebat; Iuonis mensa nunquam Iuoni sine pauperibus, sæpius pauperibus, non Iuoni sternebatur; Iuonis suppellex Iuonem solo nomine Dominum agnoscebat, rè vera pauperibus seruiebat; Iuonis pecunia per Iuonis marsupium, quasi per canalem in marsupia pauperum, sua quasi in receptacula defluebat. Iuonis Bibliotheca, Iuonis studia, Iuonis industria soli defensioni pauperum desudabant, vno verbo, totus Iuo, non tam Iuonis erat

rat, quàm pauperum; hac tamen ſeruata temporum viciſſitudine, quòd Iuo tunc ſolum ſuus erat, quando Cœli hoſpes quieſcebat in *Deo*, tunc verò totus pauperum, quando terræ ciuis laborabat in terris, & ſub pauperibus *Deum* ipſum excipiebat hoſpitio. Mirari iam deſinam ſupremum aliquando numen voluiſſe ſub cultu pauperis abiectiſſimi hoſpitem degere apud Iuonem, vt ſemel oſtenderet non poſſe feſtiuius excipi ab Iuone, vel ipſum Deum, niſi ſub ſpecie paupertatis. Largè tamen rependebantur Iuoni à liberalitate *Diuina* tàm ſedulæ hoſpitalitatis ob-

ſe-

ſequia, Iuonis enim animus non tàm terreſtris corporis forma, quam inhærens diuini ati ſpiritus dici poterat. Tellus palæſtra ſolum caritatis Iuoni fuit, Cœlum quietis thalamus, & ſedes deliciarum. Hinc erat, quòd diuinarum volumina litterarum dormiturus capiti ſupponebat, quaſi nullam eſſe duceret quietem, quæ non eſſet in *Deo*, & caput, cœleſtibus ſolum cogitationibus aſſuetum, reclinare ſuauius non poſſe, quam ſupra Cœleſtis Sapientiæ oblectamenta. Sic Iuo totus Deo vixit, & Cœlo, ſic nullam ſui partem habere voluit, quæ, vel non eſſet pauperum, vel

Cœli non hoſpita: Reſtat, vt qui patrocinio Iuonis glorian-tur, non aliam excolant ſapiētiam, quam quæ ſit hoſpita pauperum, & hoſpitetur in Cœlo. Dixi.

AVRVM IVONIANVM
SIVE
ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
Habita in eiuſdem Templo
A IO: FRANCISCO NALDO
Sem. Rom. Clerico.

AVRVM IVONIANVM, ex inexhauſta Fodina Caritatis in ampliſſimam pie-tatis veſtræ lucem proferam (EMINENT. PRINCIPES) Quo feſti-

festiuius pretiosissimæ virtutis opulentiam admiremur, eamque operosi laboris imitamento in nostra planè lucra conuertamus. Ac primum quidem, quia rude Metallum, atque informe præstantiæ suæ pretia non exponit, aurũ optimum Caritatis expolire cœpit IVO, vel à teneris annis solerti studio Disciplinarũ, Itaq; Parisijs primùm, deinde Aureliæ humanas, diuinasq; litteras, ac præcipuè Iuris prudentiam sic excoluit, vt iam tum posset argui, discendi laborem, atque industriam, nõ ad quæstum, non ad nominis gloriam, non ad scientiæ oblectamentum ab indefesso Iuue-

ne

ne fuisse suscepta, sed ad illustrius effundendos virtutum radios, quibus aliorum animi fæcundarentur ad amplissimã messem integerrimæ probitatis. Elaboratum in Officinis sapientiæ IVONIS AVRVM acri studio decertauere Virtutes, vt ad suum quæque preriperet ornamentum. Sed quò manifestius appareret, quam esset iusti ponderis, ac perfecti, Publicæ Iustitiæ à Diuina liberalitate concessum est, vt ea virtus, quæ suum cuique tribuit, & pretium statueret IVONIANÆ Caritati, & reliquis etiam virtutibus distribueret decoram tam pretiosi metalli. Iudiciaria siquidem potestate donatus

rus IVO, non modo Iustitiæ lances iuris, ac legum ponderibus librauit æquissimè, sed easdem aureas planè reddidit, non ingesto venditæ Iustitiæ pretio, sed conflato in ardore Caritatis virtutum omnium coalescentium ad IVONIS Tribunal. Quantum enim in ea muneris exercitatione promicuit laboriosa solertia, & indefessa vigilantia in causarum rationibus exagitandis! Quã-tum oculatissima prudentia in disponenda, conseruandaq; forma Iudiciorum! Quantum inuictissima constantia in restringenda Potentiorum audacia! Quantum efficacissima beneuolẽtia in Egenorum in-

demnitate ſubſtentanda! Quã-tum aſſidua cum *Diuino* Iu-dice communicatio in feren-da Sententia! Quantum deni-que promicuit abſolutiſſima virtutum ſingularum excellẽ-tia! Vt certè in IVONIS Tribunali ſuæ præſtantiæ ſpe-cimen vnaquæq; virtus agno-ſceret, & in eo iudice lis ad-huc ſit; quænam ex illis, cæ-teris anteiret! Verùm quid admiramur in IVONE virtu-tes Iudici debitas, cum ſuſpi-cere liceat in eodem etiam a-lienas à Iudice? *D*ebentur iu-diciariæ dignitati, diligentiæ, curæ labori, condigna pretia iure gentium: Hoc vnum ius Iudex æquiſſimus perfregit

IVO

IVO, tam ſine iactura iuſtitiæ, quam cũ ampliſſimo lucro Miſericordiæ; ſua quippe remictebat Pauperibus emolumenta, ſuo ſatis contentus auro Caritatis: Imo quos aliquando mulctare pecunia cogebatur vt Iudex, iiſdem mulctæ pecuniam largiebatur de ſuo, & inaudita metamorphoſi, tunc euadebat ardentior IVONIS miſericordia, cum eiuſdem Iudicis Seueritas rigidius damnabat reos. Verum cum hoc AVRVM IVONIANVM, non tam iuſtitiæ, quã Caritatis mercaturæ deberetur, ex Iudice Patronus pauperum euadit IVO. Tum vero non fulgere ſolum, vt Au-

rum, ſed etiã ardere vt ignis, viſa eſt Caritas Patrocinantis IVONIS. Quæ ſuit vnquam Egenorum cauſa, vel difficultatum nexibus adeo implicita, vel Aduerſariorum potentia adeo profligata, vel rerum omnium inopia adeò destituta, vel abiectiſſimæ miſeriæ ſquallore, ac ſitu adeò deſpicata, vel in tam miſerabili, deplorataq; Fortuna, quam Ivo non alacriter ſuſceperit, non fortiter ſuſtinuerit, non liberaliter fouerit, non ad exitum peramanter, feliciterque perduxerit? IVONIS Domum nõ tam IVONIS dixerim, quã indigentium vbi vel ipſum IVONIS Aurum Pauperibus expẽ-

ſum,

ſum, euadebat aurum perfe-ctiſſimum Caritatis: *V*bi ho-neſta ſimul, & inops familia nouem annos excepta, ac ſub-ſtentata; Vbi panis fruſtulo copioſa Pauperum multitudo ſaturata, *D*iuinæ liberalitatis miracula renouauit; *V*bi ſub egentis ſpecie *D*eus ipſe ſuſce-pturus hoſpitio, familiariter ad menſam cum IVONE con-ſedit, eius colloquiò delecta-tus, eiuſdem non pane, ſed virtutũ omnium dapibus re-creatus. Quid iam vltra mira-bimur IVONE veſtes, ac pileũ mendiculis impertita, & ip-ſius caput ſine mortali tegu-mento auguſtius *D*eo tectum? Quid aſſiduitatem eiuſdem,

atque conatum, defatigationis, ac lassitudinis prorsus expertes in fouendis, alendis, quocumque liberalitatis, ac patrocinij genere subleuandis omnium ordinum calamitosis? quid asperrimam viuendi rationẽ horrendo Cilicio, perpetua humi accubatione, precum, diuinæque contemplationis perennitate, afflictationibus exquisitissimis, planè intolerabilem? Cum Deum ipsum mẽtis oculis aspicimus, IVONIS amore adeo delectatũ, vt pauperis sibi specimen induerit, quo festiuius IVONIS consuetudine frueretur, Quare vbi facto tam admirabili Deus loquitur, Sileat humana

vox, vel ſi quid loqui volumus, factis etiam, & IVONIS imitatione loquamur. Dixi.

CAELESTIS HARMONIA SIVE DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

Habita in eiuſdem Templo
AD EMINENTISS. S. R. E.
CARDINALES
A Ioſepho Pauluccio Piſaurenſi Sem. Rom. Cleric.

CÆLESTIVM Orbium concentum, ſoliſque in occaſum occidentis exaudiri ſonitum ab vltimà Luſitanià ſplendidè mẽtita eſt Antiquitas (Eminentiſſimi Principes) At diuinam quandam Virtu-

tum Harmoniam, in IVONE Sanctissimo mirificè personantem, non Gallia solùm ipsius parens, & altrix gloriosissima, sed Orbis terrarum vniuersus verissimè contestatur. Quid enim aptius esse dixerim Viri præstātissimi Sanctimoniam, nisi cælestium gratiarū symphoniam, illi, qui factus est repentè de cælo sonus, suauissimà communicatione cōcordem? quæ non modò mortalium animos, sed multò gratiùs supernarum mentium, & præcelsæ diuinitatis oblectamenta demulsit; itaque non sibi solùm, sed etiam Christianæ Reipublicæ emolumēto, natus IVO, morum præstan-

ſtantiam, agendique faculta-
tes, ac neruos, à primis annis
intendit accuratiſſimè, hu-
manæ diuinæq; ſapientiæ ſtu-
dio & Pariſijs, & Aureliæ: vt
vel accuratiſſimis Virtutum
vocibus numeroſè concineret.
Legum, & Iuris vtriuſque pe-
ritià priuatim ſatis inſtructus,
ad publicam euehitur lucem,
iuſſus è iudicum tribunali Iu-
ſtitiam adminiſtrare. *D*ebe-
batur ſanè Virtuti rerum om-
nium moderatrici, vt primã in
IVONE vocẽ publicam ede-
ret ad rythmum, ac legem
abſolutiſſimæ caritatis. Quid-
quid Iudici poſſit accidere,
vel ſedulà cauſarũ inſpectio-
ne laborioſum, vel aſſiduà al-

 ter-

tercantium auditione molestum, vel perpendendis rationum momentis arduum, & implicatum, vel in refringendà potentiorum audacià periculosum, vel in perferendà petulantium insolentià intolerabile, alacri, constantique animo sibi suscepit, alijs verò solos maturæ Iustitiæ fructus, solam dulcedinem reseruauit; quin ipsa, iudìcis labori debita stipendia pauperibus erogabat, in hoc solùm æquitate Iustitiæ non seruatà, quòd non suum cuiq; distribueret, sed alijs omnia largiretur, sibi solùm incommoda deuoraret: quod si quandò vi legum adductus reum mulctare pecu-

cunià

nià cogeretur (audite iudicis ſanctiſſimam iniquitatem) de ſuo mulctã ſuppeditabat reo, & admirabili peruerſione iudicij, Reus euadebat ex Iudice, ſed tantò innocentior, quã-tò iuſtior erat mulcta, & impunitas damnati carior in dãnante. Verùm has in cœleſti muſicà vocum diſcordias, benè nouit reſoluere diuinus Amor, & ad ſuauiorem melodiam aptè componere. Amabilem iudicij ſeueritatem, & temperatam caritatis dulcedine iuſtitiæ acrimoniam reſonabãt Galliæ tribunalia, IVONE Iudice, cum iucundiorẽ cœlo conſonantiam exorſa eſt Miſericordia modulatio, nu-

meris certè omnibus abſolu-
tiſſima. Patrocinia pauperum
ſuſcepit IVO, cauſamq; mi-
ſerorum complexus eſt, tàm
inflammatà benefaciendi cu-
piditate, vt ipſæ Calamitates,
atque Miſeriæ non tàm lamẽ-
tabiles viderentur ærumnarũ
acerbitate, quàm optabiles
IVONIS patrocinantis indu-
ſtrià, ſuprà vires, conditio-
nemq; mortalis: Tunc enim-
uerò ad erectam, ſublimemq;
fortunam ſeſe proripi ſentie-
bat, cùm ad abiectiſſimæ ſor-
tis inopiam ſubleuandam, ſup-
ponebat humeros, non vt Ath-
las cœli fabuloſi fulcimentũ,
ſed, vt veriſſimus diuinitatis
geſtator, in pauperibus inſi-
den-

dentis. Quis tantus egestatis squallor, quis calamitatum insultus, quæ fortunæ sæuientis immanitas, quæ miseriarum atrocitas, quæ malorum omnium colluuies, adeò debacchari potuit in humanum genus, cui opem, leuamentum, solamen IVONIS domus, pecunia, ingenium, vires, conatus, totus IVO non tulerit? Sic omnibus omnia factus, vt omninò multiplex appareret: sic verò in omnibus multiplicatus, vt totus profusus in singulis videretur. Foco ac tecto excludebantur exules, & mēdiculi? IVONIS domum habebant pro suà, adeò vt integra inopum familia nouem

ipsos

ipſos annos in eà degeret cum IVONE: carebant alimento famelici? Certè IVONIS epulo non carebant, vndè meritò accidit, vt diuinæ liberalitatis exemplo ſimul, & miraculo, panis fruſtulum inter manus IVONIS, in plurimorum annonam pauperū, multiplicaretur. *V*eſtes egentibus deficiebant? IVONIS indumenta nulli deerant, quę ſæpiſſimè cum pauperrimis cōmutauit. Capitis tegumento quiſpiam indigebat? IVONIS pileo tegebatur, qui quaſi cū cœlo, communi tegumento mortalium, contendebat. Quid multa? domus, menſa, lectus, vaſa, ſuppellex, hoc ipſo, quod

IVO-

IVONIS essent, pauperibus seruiebant, vt dominis; IVONEM, vt famulum agnoscebant. Ad concentum IVONIANÆ *V*irtutis vox ipsa diuini Patris voluit aliquandò modulari: itaque sub specie squallentis mēdiculi *D*ei filius IVONIS domum ingressus, quam excitauit inauditæ Caritatis Harmoniam? Admiramini, *D*eum ipsum hospitem apud IVONEM, atque vtrūque eidem familiariter assidentes mensæ, in eàdem suauissimè epulantes lance, vnà iucundissimè colloquentes, in eodem Caritatis amplexu suauissimè quiescentes; Et non inuideat Cœlum IVONIS

Do-

Domo, in quà cœli deliciæ cũ ipsà diuinitate modulantur? quidnam amplius obstrepat humana vox, vbi cōcinit Verbum Dei? Potius venerabunda mentis aure diuinum hoc Melos excipiamus, & animorum sensa ad harmonicos numeros iucundissimæ voluptatis conformemus.

IVO NON IVO
ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
Habita in eiusdem Templo
AD EMM. S. R. E. CARD.
A Cæsarino de Cæsarinis Spoletino Sem. Rom. Cler.

POSTQVAM Dei Patris Filius (Emm. PP.) admira-

mirabili quadam exinanitione ſui factus eſt homo, cæperunt homines virtute Diuinitatis allapſæ ſemetipſos exinanire, & viuere iam non ipſi, ſed viuere in ipſis *Deus*, verum hæc mortalitatis abiectio gloriosſam potius expletionis, quã miſeram exinanitionis appellationem ſibi vindicat; cum enim abnegant ſemetipſos, & quodammodo deſinunt eſſe homines exinanita generis fœditate, diuinam induunt pulchritudinem, communicatione Diuinitatis afflatæ. Hoc *ipſum*, ſi placet, abſolutiſſimũ in IVONE ſuſpiciamus; apparebit enimuero IVO non IVO; vbi enim primum ſui compos

factus

factus est puer, sui etiam expers euasit, & puer non puer: nugæ, lusus, ludicra, fluxa omnia oblectamenta, primæq; libertatis lenocinia IVONIS pueritiæ primò ætatis flore seueritatem. Adolescentiæ vigor totus abijt in conatus ad humanam, diuinamque scientiam comparandam, vt non tantum annorũ numero adoleuerit ætas, quantum doctrinarum copia excreuerrit sapientia: hinc non minus à se, quam à patria exul, Parisijs primum, deinde Aureliæ nauat operam iurisprudentiæ, ac Sacris litteris, quibus animatus non sibi, sed alijs viueret, congestamque labore sapien-

tiam non auro, neque gloriæ venderet auarus sui, sed in populorum commoda large diffunderet, suimet etiam profusissimus: non prius tamen in alijs adiuuandis, quam in se gnauiter perdendo cæpit impendere cœlestes disciplinas: à vino, tamquam vitali fomite voluptatis illecebrosæ, prorsus abstinuit; cibum non nisi ex præscripto necessitatis admisit; pro lecto non nisi cõmunis omnium parentis sinũ, nudæ videlicet terræ solum adhibuit; Capiti sacra Biblia pro ceruicali supposuit, ea solum quiete contentus, quę nititur in Deo; corpus horrente satis cilicio non tam induit ad

pro-

propulſandam aëris inclemẽtiam, quam ſtimnlauit ad curſum concitatiſſimum immortalitatis; deniq; illud tantum in IVONE reliquit, quantum ſufficeret, vt in IVONE non exiſteret IVO. Litterarũ ſtudijs abſolutis ab Epiſcopo Trecorenſi Iudex conſtituitur cõſilio prudentiſſimo, qui enim in ſui foro ſe ipſum ſemper mulctauerat incorrupta ſeueritate, non poterat aliorum iudicij non eſſe integerrimus. Præſidebat in IVONIS tribunali Iuſtitia, ſed illi aſſidebat ad dexteram Miſericordia, vt omnes prorſus ambigerent, an ad ius exactiſſime dicendum præficeretur IVO,

an

an ad miſerias, calamitateſq; mortalium ſubleuandas. Quãta fuit iudicis patientia in cauſarum controuerſijs audiẽdis? Quanta in diſcutiendis diligentia? Quanta in exquirenda iuris, ac facti veritate ſolertia? Quam peruicax, quam conſtans oppoſitio contra potentiorũ aduerſus inopes patrocinia? Quam indefeſſa contentio in ponderandis vtrinq; rationum momentis? Quam intemerata vultus, animique ſerenitas in altercantium importunis congreſſibus vel excipiendis, vel ad concordiam reuocãdis! Sed hæc ita IVONIS apparent propria, vt alijs etiam communia eſſe poſſint:

Quid

Quid illa ſolum *Iuoniana?* oppreſſis, & impotentibus ſuum ius perſequi tenuitate fortunę, de ſuo pretium largiębatur ad litium controuerſias abſoluēdas; ſic ius, quod dicturus erat, vt iudex, argento ſuo prius redimebat, vt patronus à violētia deſtitutæ fortunæ: pretiū iudicis labori debitum ſemper IVO conſtantiſsime reſpuit; noluit enim de ſuo quidquam habere venale, niſi pretio æternitatis, ſic autem ferebat ſententiam, vt in ea pronuncianda, ſola Iuſtitia ſuas partes ageret, ea præmeditanda, & quodammodo concoquenda, ſola Miſericordia. Sed illud ſupra fidem admirabilius

emi-

emicuit in hoc iudicis tribunali, quod quando reus pecunia mulctandus esset, mulctã quidem non relaxabat IVO, ne iudicij frangeretur integritas, sed mulctã de suo amantissime suppeditabat reo, ne misericordiæ vigor rigore iustitiæ vinceretur: adeò vel sontem damnaret IVO, vel insontem absolueret, semper erat beneficia iudicantis sententia, & quod iustè auferebat, vt iudex, amantius reddebat, vt pater. Quod si pauperum patrocinium tam mirifice cõiunxit cum iudicis seueritate, qua deinde vehementia totus exarsit in obsequia paupertatis è iudice pauperum Aduo-

catus

catus IVONIS domus, non IVONIS erat, ſed inopum, & egenorum: IVONIS ſuppellex, vt adminiſtrum agnoſcebat IVONEM, vt vere dominos, indigentes: IVONIS indumenta; id ſolum temporis ſeruiebant IVONI, quo egentiori cuipiam opus non eſſent: IVONIS pileus, mẽdiculorum ſæpiſsime capita, cõtegebat, ſed in aperto IVONIS capite Cœlum ipſum pilei munere glorioſius fungebatur: IVONIS menſa, IVONEM aſsidentibus illi pauperibus famulantem ſæpius admirata eſt nunquam ſine conuiuijs pauperibus aſsidentem: Quo IVONIS, hoc
eſt

eſt egenorum quotidiano cō-
uiuio adèo delectatus eſt Deus
vt omnino voluerit præcincta
ſibi ſpecie mendicantis ipſe-
met IVONIS eſſe conuiua,
illi proximus aſſidere, in ea-
dem epulari lance, cum eo col-
loqui, locari, colludere; de-
nique Deum oſtendere ſimul
in IVONE iam exinanito vi-
uentem, ſimul cum eodem
iucundiſſime cōuiuantem. Et
mirabimur, ſi res ipſæ ratio-
nis expertes expreſſū in IVO-
NE Deum veneratæ ſint? ſi
panis fruſtulum in eius mani-
bus copioſam in annonam fue-
rit multiplicatum, vt magnæ
hominum alendæ multitudi-
ni renouato Chriſti miraculo

sufffecerit? si vehementissimũ incendium ad IVONIS imperium se compresserit? Si inundantium aquarum impetus IVONIS incedentis pedibus viam strauerit rubri maris æmulus Mosaicæ virgæ nutibus obsequentis? Sic se habet qui semet ipsum abijcit, vt Deum assumat: sic diuinos quasi mores expressit IVO, quia vere vixit IVO non IVO.

MA.

MANVVM ELOQVENTIA.

SIVE

DE D. IVONE

PAVPERVM PATRONO

ORATIO

Habita in eiusdem templo

AD EM. S. R. E. CARDINALES

A IO. DOMINICO BONACCIO

SEM. ROM. CLER.

NOVVM Eloquentiæ specimen ab IVONE sanctissimo viro iam olim exhibitum, atque ante hunc diem omnibus inauditum, in lucem florentis huiusce panegyris affero Em. PP. suspicietis hodie in IVONE non tam oris facundiam quã manuum eloquentiam, nec tam disserentem linguam,

quàm dexteram perorantem; vt iam nobis longe maiori ratione quàm poetæ veteri artem plane diuinam liceat demirari.

Quæ facit articulos ore silente, loqui.

mihi autem nullis vel artis, vel naturæ præsidijs ad dicendum instructo, si pro huius dignitate consessus, aut ieiunius egero aut inornatius, facile ignoscetis. si apud animum reputabitis, dandum esse aliquid oratoris infantiæ, vbi eloquens est argumentum orationis.

Ea est inter linguam ac manum naturæ cognatio, ita vtriusqe munera mutua quasi

conſpiratione conſentiunt, vt quem admodum lingua à nō nullis appellatur Ingenij manus: ita manus totius corporis lingua cenſeatur, ex quo factum exſtimem vt non ingenioſe minus Ambroſius linguam dixerit, edentis manum, quam Artemidorus manum nuncupauerit ſermonem quendam mentis, ac tacitæ voluntatis interpretem, parum videbatur IVONI patrocinari pauperibus linguæ facundia, niſi illes fœcunda quoque manuum eloquentia tueretur, neque ſuo factum muneri ſatis putabat, ſi dum cogebatur lingua ſilere, manus etiam auaro ſilentio con-

propulſandam aëris inclemẽtiam, quam ſtimnlauit ad curſum concitatiſſimum immortalitatis; deniq; illud tantum in IVONE reliquit, quantum ſufficeret, vt in IVONE non exiſteret IVO. Litterarũ ſtudijs abſolutis ab Epiſcopo Trecorenſi Iudex conſtituitur cõſilio prudentiſſimo, qui enim in ſui ſforo ſe ipſum ſemper mulctauerat incorrupta ſeueritate, non poterat aliorum iudicij non eſſe integerrimus. Præſidebat in IVONIS tribunali Iuſtitia, ſed illi aſſidebat ad dexteram Miſericordia, vt omnes prorſus ambigerent, an ad ius exactiſſime dicendum præficeretur IVO,

an

an ad miſerias, calamitateſq; mortalium ſubleuandas. Quāta fuit iudicis patientia in cauſarum controuerſijs audiēdis? Quanta in diſcutiendis diligentia? Quanta in exquirenda iuris, ac facti veritate ſolertia? Quam peruicax, quam conſtans oppoſitio contra potentiorū aduerſus inopes patrocinia? Quam indefeſſa contentio in ponderandis vtrinq; rationum momentis? Quam intemerata vultus, animique ſerenitas in altercantium importunis congreſſibus vel excipiendis, vel ad concordiam reuocādis! Sed hæc ita IVONIS apparent propria, vt alijs etiam communia eſſe poſſint:

Quid

Quid illa solum Iuoniana? op-pressis, & impotentibus suum ius persequi tenuitate fortunę, de suo pretium largiębatur ad litium controuersias absoluẽdas; sic ius, quod dicturus erat, vt iudex, argento suo prius redimebat, vt patronus à violẽtia destitutæ fortunæ: pretiũ iudicis labori debitum semper IVO constantissime respuit; noluit enim de suo quidquam habere venale, nisi pretio æternitatis, sic autem ferebat sententiam, vt in ea pronuncianda, sola Iustitia suas partes ageret, ea præmeditanda, & quodammodo concoquenda, sola Misericordia. Sed illud supra fidem admirabilius emi-

emicuit in hoc iudicis tribunali, quod quando reus pecunia mulctandus esset, mulctã quidem non relaxabat IVO, ne iudicij frangeretur integritas, sed mulctã de suo amantissime suppeditabat reo, ne misericordiæ vigor rigore iustitiæ vinceretur: adeò vel sontem damnaret IVO, vel insontem absolueret, semper erat beneficia iudicantis sententia, & quod iustè auferebat, vt iudex, amantius reddebat, vt pater. Quod si pauperum patrocinium tam mirifice cõiunxit cum iudicis seueritate, qua deinde vehementia totus exarsit in obsequia paupertatis è iudice pauperum Aduocatus

catus IVONIS domus, non IVONIS erat, ſed inopum, & egenorum: IVONIS ſupellex, vt adminiſtrum agnoſcebat IVONEM, vt vere dominos, indigentes: IVONIS indumenta; id ſolum temporis ſeruiebant IVONI, quo egeniori cuipiam opus non eſſent: IVONIS pileus, mẽdiculorum ſæpiſsime capita, cõtegebat, ſed in aperto IVONIS capite Cœlum ipſum pilei munere glorioſius fungebatur: IVONIS menſa, IVONEM aſsidentibus illi pauperibus famulantem ſæpius admirata eſt nunquam ſine conuiuijs pauperibus aſsidentem: Quo IVONIS, hoc

eſt

eſt egenorum quotidiano cõuiuio adeò delectatus eſt Deus vt omnino voluerit præcincta ſibi ſpecie mendicantis ipſemet IVONIS eſſe conuiua, illi proximus aſſidere, in eadem epulari lance, cum eo colloqui, locari, colludere; denique Deum oſtendere ſimul in IVONE iam exinanito viuentem, ſimul cum eodem iucundiſſime cõuiuantem. Et mirabimur, ſi res ipſæ rationis expertes expreſſũ in IVONE Deum veneratæ ſint? ſi panis fruſtulum in eius manibus copioſam in annonam fuerit multiplicatum, vt magnæ hominum alendæ multitudini renouato Chriſti miraculo

suffecerit? si vehementissimũ incendium ad IVONIS imperium se compresserit? Si inundantium aquarum impetus IVONIS incedentis pedibus viam strauerit rubri maris æmulus Mosaicæ virgæ nutibus obsequentis? Sic se habet qui semet ipsum abijcit, vt Deum assumat: sic diuinos quasi mores expressit IVO, quia vere vixit IVO non IVO.

MA.

MANVVM ELOQVENTIA.
SIVE
DE D. IVONE
PAVPERVM PATRONO
ORATIO

Habita in eiusdem templo

AD EM. S. R. E. CARDINALES

A IO. DOMINICO BONACCIO

SEM. ROM. CLER.

NOVVM Eloquentiæ ſpecimen ab IVONE ſanctiſſimo viro iam olim exhibitum, atque ante hunc diem omnibus inauditum, in lucem florentis huiuſce panegyris aſſero Em. PP. ſuſpicietis hodie in IVONE non tam oris facundiam quā manuum eloquentiam, nec tam diſſerentem linguam,

conſpiratione conſentiunt, vt quem admodum lingua à nõ nullis appellatur Ingenij manus: ita manus totius corporis lingua cenſeatur, ex quo factum exſtimem vt non ingenioſe minus Ambroſius linguam dixerit, edentis manum, quam Artemidorus manum nuncupauerit ſermonem quendam mentis, ac tacitæ voluntatis interpretem, parum videbatur IVONI patrocinari pauperibus linguæ facundia, niſi illos fœcunda quoque manuum eloquentia tueretur, neque ſuo factum muneri ſatis putabat, ſi dum cogebatur lingua ſilere, manus etiam auaro ſilentio con-

ticeſcerent, vt qui optime nouerat ſuam, & iis vocem ineſſe qua aliquando ſucclament. Humana verba nummis eſſe ſimilia pronunciauit Zeno is qui Stoicorum familiam, & inſtituit, & duxit. Proinde os officinam eſſe nummariam dictitabat, vbi lingua verba procuderet, & quaſi monetalis typus ſua quæque ſignificationis forma ſignaret. Verum huiuſcemodi officinæ opulentia mortalium plerique circumfluunt, neque Vinicium vnum reperias cui præclarum illud Auguſti præconium aptetur. *Ingenium in numerato habet*; facile ſatis huiuſmodi pecu-

niam,

niam , vel ipsa auaritia numerare condiscat, neque vnus aut alter tantum Chrisostomi mutuatus agnomen aureæ videlicet officinæ , vocalem plane thesaurum ostentat. Quamquam eo loci in iudicando deuenit humana cupiditas , vt empta pretio verba diuendat reis , vocemque ipsam habeat , non raro venalem. Sed ò tuam IVO, vel oris vel dexteræ beneficentiam , qui pauperum caussis , & benigne susceptis , & acerrimè propugnatis , postquam oris Aerarium exhauserat , operosiore manuum eloquentia circunfusæ multitu lini verba vere aurea dabas

cum aureos dispertiebas, & contigit non raro A. dum integerrimus vir iuri dicendo præpositus forenses controuersias dirimebat, vt ne qui causa ceciderat plus nimio de bonorum iacturà doleret, tantundem de suo reponeret manù quantum æquissimo pronunciato detraxerat lingua. Sic eodem loci temporisque vestigio, & se suo in iudicio patronum præstabat, & in alieno patrocinio reum ac Iudicem sui. Et quidem par erat, vt qui inter flexuosos adolescentis ætatis anfractus, inter voluptatis ab. blandientis aucupia, inter fortunæ ancillantis obsequia,

ne-

neque felicitatis fulgore perstrictus, neque naturæ illecebris captus, neque illecebrosæ voluptatis tendiculis irretitus, ita virtutum omnium spatium curriculumque confecit, nihil vt eum à recto vitæ instituto transuersum vnquam abduxerit; par inquam erat, vt veritatis iam arbiter renunciatus, eam præseferret; cum seueritate iustitiæ comitatem, eam cum iudicii æquitate clementiam, eam cum tenacitate recti munificentiam, vt suo testimonio comprobaret, non posse in publica erga alios iudiciaria potestate exhibere se vel patronum vel patrem nisi qui

in priuato sui pectoris foro accerrimus in se iudex extitisset. An non acerrimus in se iudex IVO? qui vt facilius oculi in cordis vigiliam excubarent, saxo pro ceruicali subiecto nudis in asseribus pernoctabat, qui sæpissimè cœlestium vbertate saginatus præter panem, & frigidam adhibebat nihil, qui vt in pectore pietas mollius recubaret, setoso cilicinæ vestis obstragulo sese acriter diuexabat, qui vt vberior in animo seges virtutis existeret, corpus integerrimè castum quasi lilieti nouale acuminato loro proscindebat. Ita planè res habet. Ferreas in se manus

sen-

ſentiebat IVO quas reliqui omnes, vel capite fortuniſque damnati nonniſi aureas deprehendebant. Edixerit aliquando Thebana reſpublica Senatorum imagines ſine manibus effingendas, ſculpſerint Aegyptii in ſepulchro Simandii regis triginta numero iudices manibus mutilatis, omnibus documento æquitatis trutinam tunc æqua lance pendere cum nullis contra ius faſque grauantur muneribus manus, nullis auri ponderibus deprimuntur, mihi quidem ſi immortalitatis in Templo Coloſſeũ IVONIS Simulacrum ſtatuere liceret; collocarem profecto illud in-

ter calamitosorum turmas, inter centurias eiulantium, inter esurientium copias, inter confertam omnium ordinum, vitam in egestate degentium multitudinem: at non binas dumtaxat manus, sed ad exaggerata beneficentiæ argumentum centenas apponerem, quæ imploratam opem cunctis circumquaque porrigerent, vt quemadmodum munificis eius manibus quo fieret satis, perexiguum panem miro prodigio cumulauit Deus, ita ad innumerabilem penè beneficiorum copiam repræsentandam satis, pari portento multiplicentur manus, quique iis omnino car-

caruisse in accipiendo est visus, cunctis appareat in elargiendo Centimanus. Sed quam vocem IVONIS dexteræ fuisse crediderim, quæ nostræ salutis reparatorem, ac vindicem deuocauit è Cœlo. Assidebat aliquando in mensa parcissimus cibi vir, cum ecce tibi pauperculi personam indutus Pauperum Deus. *Obsita squallore vestis, & horrida, exanguis color, pallore macies liuido, vox ad miserabilem sonum inflexa imperant fidem.* Tum supplicantem porrigit dexteram. *Occurrit* IVONIS manus atque anteuertens preces, quidquid apud se habet liberaliter

clar-

elargitur. Quid hic potius mirer. A. Erogantem ne manum IVONIS, an corrogantem Dei manum? certe mortalium animi cum erga alios beneuolentiæ suæ vim produnt, ita dexteram tendunt; vt in ea cor ipsum, fidem atque amorem impertiant, vel ex hoc comprobantes quod Græcæ Fidicen Lyræ cecinit aliquando, cor nimirum, & manum pari in loco numeroque habenda. Accipit ergo ex manu IVONIS IVONEM ipsum pauperum scilicet cor, cordium Deus. Recipit contra è diuini pauperis manu dininum cor, pauperum pater, & non ex-
cla-

clamem ? O IVONIS manum non eloquentem modo, ſed ex beatiſſima cordium permutatione cordatam, appellauerit Theodoretus Meletij Antiocheni Antiſtitis dexteram coronatam, quòd illam in itinere obuiam exoſculari veneratione ſumma ſoleret Theodoſius coronatum caput. Ego quidem diuinam quandã agnoſco in IVONIANA dextera maieſtatem, quæ porrectam ad ſeſe ſupplicantis in morem excepit manum, non coronati capitis modo, ſed ipſa regum capita coronantem. Et mirabimur ſi mutæ ipſæ expertesque animi res neſcio quam

vim

vim in eloquẽtibus IVONIS manibus demiratæ, ad illarum imperium venerabundæ ſubſtiterint. Quem veſtrum præclarum illud facinus latet, cum vehemens in ædibus excitatum incendium, igne per omnes partes impune ſæuiente; ac flammis alijs ſuper alias conglobatis, publicam in perniciem debacchante, ad IVONIANÆ manus aſpectum inhibito repente curſu hæſit immobile, ſibique tacite reclamantis dexteræ imperium adorauit. Sileatur Appollonius ille, quem Pythagoreo ſilentio per qninquennium cuſtodito, cũ apud vrbes quaſdam interſti-

nis discordiis dissidiisque distractus, tumultum seditiose concitum offendisset, manu tantum eloquente non lingua, fregisse spiritus, impetum retardasse proditum est; mihi quidem restinctas hasce flammas in commune prius conspirantes exitium, & concordi quadam contentione confligentes intuenti, illud alio spectantis poetæ venit in mentem.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ Maiestate manus.

Nam quid ego alterum illud prodigium dicendo commemorem, cum IVONI ad finitima oppida salutis animo-

rum

rum causâ contendenti, *Obuius in itinere* fluuius aquarū vtrinque facto diuortio interclusam planè viam aperuit. Aperuit se olim, & mare Moysi proficiscenti, at durum virgæ euerberantis imperium expectauit, fluuius hic tumido licet exundantiū aquarum impetu incitatissimus, IVONIANÆ manus aspectum vix substinet. Quod si virgæ tactu *Soliditatem recepit liquor: atque vndæ* (vt Veronensis Antistitis verbis vtar) *dextera læuaque gelido stupore frænatæ vitreos se direxerunt in muros*; illud idcircò contigisse crediderim, vt ad persequentes hostes

con-

contumulandos grauiore dein lapſu deuolutæ corruerent. At IVONIS aquæ innocentes ſolutæ prorſus, ac liberæ iubentur abire, quippè illius manus famulantes imperio, quæ, & ſemper ſalutem opēque omnibus, & tum maximè proximis oppidanis afferret.

Sed neſcio quonam pacto At IVONIS manus, & auri profuſione, & præclarorum patratione facinorum eloquentes, Orationi meæ longius aliquanto prouectæ ſilentium indicunt. Vos igitur extrema hac oratione cōpello Æquiſſimi Iudices quos IVO & muneris, & virtutis ſuæ

ſcrip-

ſcripſit hæredes. *Vos qui illius integritatem, veſtris impreſſam mentibus ſemper, ſemper expreſſam moribus prætuliſtis, pergite aureis illius veſtigiis inſiſtere, cui nihil, quam pauperum cauſas non minus perorare lingua quam manu. Habeat Iudicis dextera clientes ſuos, quos non lactare verbis; ſed recreare auro conſueſcat. Glorioſum ſit diuitum iudicem nominari, glorioſius pauperum patrem haberi. Sit nationum omnium alios iudicare; Patrocinari omnibus Romanum ſit.

LAVS DEO